SCRIPTORES RERUM

GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

ANNALES POLONIAE.

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1866.

ANNALES POLONIAE

Wilhelm Röpell

EX RECENSIONE ARNDTII ET ROEPELLII

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1866.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNORUM.

INDEX.

PRAEFATIO.

Quum per totum fere medium aevum imperatores nostri Italiam tamquam imperii sedem tenerent, non omittebant et novas occupare terras, quibus consuetudines, iura vitaeque Germanicae instituta impertirentur. Ita factum est, ut inde a saeculo decimo usque ad saeculi decimi tercii finem terrae omnes trans Albim fluvium sitae diuturnis bellis Slavis eriperentur et fines inter eos Germanosque in universum adhuc manentes constituerentur. Labente autem imperii potentia et adunatis per Wladislaum dictum Loktek Poloniae viribus, fieri non potuit, quin victores Germani a victis Polonis cohiberentur, ne ulterius progrederentur. Surrexerunt paulo post magnus ille Kasimirus et Wladislaus Iagiello, qui, fratribus ordinis sanctae Mariae Theutonicis proelio apud Tannenberg tandem letaliter devictis, Poloniam liberam magnamque constituerunt.

His praemissis elucet, quare fontes rerum Polonicarum ad cognoscendam et illustrandam Germaniae historiam permagni sint aestimandi. Et quum iam plus quam decem annis ante antiquissimae Polonorum chronicae, vulgo Martino Gallo cuidam attributae, arte critica ex vetustis libris manuscriptis emendatae et correctae in collectionis nostrae tomo nono lectoribus sint propositae, nunc editor Monumentorum clarissi-

mus, ut annales huius gentis agmen aliorum clauderent constituit atque curavit.

Magnis igitur per Silesiam Poloniam Galiciam et Russiam itineribus susceptis, perquisitis quamplurium et publicarum et privatarum bibliothecarum thesauris, datis per munificentiam miram fautorum nostrorum auxiliis litterariis, quae ipsi petere non poteramus, nunc ad id pervenimus, ut ex magna codicum mole prima vice proponere possimus viris historiae studiosis omnes Poloniae annales tandem aliquando collectos, correctos, emendatos, quorum alios nondum impressos fuisse, alios, quamvis luci dati fuissent, tamen adhuc deterruisse magis quam allexisse lectores ex textus sui statu, quis est qui nesciat?

Polonia in duas erat divisa provincias, Poloniam minorem et maiorem. Caput minoris Poloniae erat Cracovia urbs, ad ripam Vistulae fluvii sita, in valle satis amoena et frugifera, ubi eminus Carpathorum montes albi cernuntur et ubivis monumenta gloriae Polonorum. Hac in urbe prima vestigia artis historiae scribendae invenimus, quae aliunde allata continuationibus aucta sunt. Liceat nobis hac in praefatione disserere de annalibus et Cracoviensibus et derivatis. Quamquam difficillimum est discernere quae annalium forma sit antiquissima, quum quae exstant omnes adnotationes authenticae non sint aestimandae, sed compilationis vel derivationis locum sibi tantum vindicent; cohaerent tamen omnes hi annales tam arcte inter se, ut sit statuendus communis quidam, adhuc deperditus fons, ex quo omnes originem sumpserunt. Exstitisse autem exemplar annalium antiquorum Cracoviae docemur

bulla papae Innocentii IV. inquisitoribus miraculorum sancti Stanislai anno 1251 *data, in qua haec verba occurrunt:* Ad hec librum cronicorum, quod capitulum pertinens ad negotium memoratum ex archivo ... ducis Polonie editum et etiam librum annalium et epitaphium considera diligenter. *Comprobatur haec sententia, si annales accurate perspicias examinesque. Vides enim statim antiquam formam fere totam manasse in Annales capituli Cracoviensis, qui ad singulos annos ex annalium usu praebent adnotationes breves strictasque, paucis tantum in locis uberiore copia verborum ornatas, ita tamen ut semper annalistae et compilatoris munus seiungere possis. Non dubitamus, quin hi annales propius ad antiquam formam accedere statuendi sint, quamvis codex eorum demum in fine saeculi XIII, ut infra videbimus, conscriptus sit ac certe annales post canonisationem sancti Stanislai a.* 1254 *factam et ante annum* 1267 *confecti sint, quum prima manus eos usque ad hunc annum exaraverit, alia in hoc ipso anno eam excipiat.*

Proxime ad hos Annales capituli Cracoviensis accedunt breves illi annales quos Annales Cracovienses vetustos nominavimus. Iam anno 1122 *scripti sunt, ita quidem ut usque ad annum* 1119 *eorum adnotationes saepius ad verbum cum Annalibus capituli concordent, quamquam leves diversitates vel in annorum numeris vel in modo verba componendi occurrant. Accedit quod plurium annorum relationes desunt Annalibus capituli. Attamen statuere possumus Annales hos vetustos etiam ex exemplari illo deperdito esse derivatos. Attendas, et in Annalibus capituli et in*

Annalibus vetustis adnotationes quasdam res Germanicas continentes inveniri, quarum de natura atque origine statim videbimus, quum certum sit eas iam in exemplari authentico locum obtinuisse. Annalista igitur principio operis sui in usum suum vertebat annales Germanicos, quos ex annalibus Hersfeldensibus fluxisse est statuendum. Res Hersfeldenses quidem omittuntur, de variis vero regum et imperatorum Germanicorum fatis annotationes exstant, quae, si comparare eas velis cum ceteris omnibus annalibus ex Hersfeldensibus derivatis, semper fere cum uno alteroque eorum exemplari in verbis concordant. Unde nactus eos sit auctor Polonus, nescio, fortasse Praga deductos eos esse Cracoviam dicendum erit. Ad annos enim 981. 987. 990. 997. *legimus notas, quae etiam in Annalibus Pragensibus exstantes de sancto Adalberto tractant. Quum autem Annales Hersfeldenses usque ad a.* 973 *vel* 984 *pertinuisse videantur, in nostris autem, si excipere velis annorum relationes quae et in Annalibus Pragensibus inveniuntur, et ad ann.* 1002. 1009. 1012 *res legantur Germaniam spectantes, exemplar authenticum usum fuisse Annalibus Hersfeldensibus continuatione auctis, necesse est. His cum annalibus aliunde mutuatis statim coniunguntur Annales Poloniae. Quae affinitas nunc detecta ad sententiam nostram de antiquitate Annalium capituli Cracoviensis stabiliendam haud parvi momenti est.*

Proxime ad Annales capituli Cracoviensis accedunt Annales compilati Cracovienses, qui a compilatore indocto, ut infra demonstrabimus, ita sunt compositi, ut nobis servent in multis locis verba deperditi exem-

plaris vel commemorationum de antiquissima Polonorum historia quae aeque atque in aliis annalibus et chronicis leguntur. Maxima autem inter nostros et Annales Polonorum infra dandos est observanda affinitas, tanta quidem ut statuere possis, hos omnes uno eodemque annalium deperditorum exemplari usos fuisse. Quando autem scripti sint Annales compilati, incertum est; at saeculo XIV. demum in hanc formam esse redactos, iam scriptura codicis docemur, quam compilatori ipsi vindicare possumus. Nec melius de Annalibus Polonorum praedicare valemus, id autem sufficit, quod omnes hi antiquioribus sint superstructi adnotationibus, tum autem continuationibus variis aucti in varios codices manuscriptos translati.

Annales Lubinenses, ut in margine adnotari curavimus, vel cum Annalibus capituli Cracoviensis vel cum Annalibus compilatis, vel etiam cum Annalibus Kamenzensibus congruunt, et quum codex eorum iam initio saec. XIII. scriptus sit, liceat eos quoque ad examen de codice authentico instituendum vocare.

Annales Kamenzenses, ut inscriptione eorum: Ista accepta sunt de cronicis Polonorum *docemur, ex annalibus sunt derivati, qui utrum in uno eodemque exemplari auctori praesto fuerint, an in pluribus, quippe qui multa contineant, quae et in Annalibus capituli et in Annalibus compilatis leguntur, ambiguum est. Certe nostrorum diversae in Silesia exstabant copiae, quia iam Annales Cisterciensium in Heinrichow et Chronicon principum Poloniae hos in usum suum vertebant.*

Annales Cracovienses breves cum Annalibus capi-

tuli Cracoviensis ubivis fere consentiunt ita, ut eos excerptos ex his putare possis. Attamen quum certe in maiori Polonia formam, quam prae se ferunt, sint consecuti, quasdam notas habent, quas in Annalibus capituli frustra quaeres. Annales Mechovienses, cum Annalibus capituli Cracoviensis consentientes, initio verba retinuerunt aeque atque in Annalibus brevibus invenienda.

W. ARNDT. *R. ROEPELL.*

ANNALES CRACOVIENSES VETUSTI.

Asservantur hi annales in codice bibliothecae imperialis Petropolitanae membranaceo, signato λ. O. v. OTΔ. I. N. 19, *forma octonaria, olim libro ecclesiae sanctae Crucis in Monte Liszecz, ut inscriptione quadam docemur. De hac Augustus Bielowski, Leopoliensis, amicus noster doctissimus, nobis petentibus scripsit haec: „Liszecz secundum antiquum scribendi genus positum est pro Łysiec, quod vocabulum contractum est ex Łysa gora, id est* Calvus mons. *Hic mons in palatinatu Sandomiriensi situs est, eiusque in capite ecclesia sanctae Crucis eminet, de qua montes et silvae adiacentes nunc in universum* Góra świętokrzyska, Lasy świętokrzyskie *nominantur. Vocabula autem Łysiec et Łysa gora iam ethnicis temporibus erant usitata.“ Codex cum omnibus fere aliis Polonicis Petropolim delatus, continet Iacobi explicationes in epistolas catholicas, manu saec. XI. exeuntis exaratas. Fol.* 38′ *Annales nostri incipiunt, ita quidem ut fol.* 38′ *et* 39 *in duas sint divisa columnas, super quas per has duas paginas in margine superiori scriptum est:* Anni ab incarnacione Domini; *folium* 39′, *ubi annorum numeri* 1124 *usque ad* 1164 *scripti sunt, una tantum columna expletur. Inde ab anno* 1120 *annis quaternis* B *littera apposita est, annum bissextilem significans; quum autem scriba numerum* 1146 *bis scriberet, effectum est, ut non iudicio suo et sensu agens illud* B *poneret etiam ad a.* 1147. 1151. 1155. 1159. 1163. *Ad annum* 1136 *iam altera, coaeva quidem, manus*

notam de obitu Sophiae scripsit. Quibus perpensis et notis annorum 1121 *et* 1122, *ubi verba exstant quae in Annalibus capituli Cracoviensis omnino non repeɾiuntur, ad certamen vocatis, elucet codicem anno* 1122 *scriptum fuisse.*

In generali praefatione iam affinitatem inter nostros atque Annales capituli Cracoviensis commemoravimus, et de codice ex quo uterque exscriptus sit, nostram protulimus sententiam. Annorum 948—1000. 1082. *et* 1118 *numeri uno numero quam Annalium capituli Cracoviensis maiores sunt, qui error utrum sit scribae an codici authentico vindicandus, non elucet.*

A.Hersf. 948. inventio sancti Stephani protomartiris.
952. Otto primus Italiam subegit.
959. cruces apparuerunt in vestibus.
962. Otto in regem ungitur.
964. Otto imperator apellatur.
966. Dubrovka venit ad Miskonem.
967. Mysko dux baptizatur.
cf. Ann. Prag. 982. Zlavnyk pater sancti Adalberti obiit.
988. mater sancti Adalberti obiit.
991. professio sancti Adalberti cum fratre Gaudentio.
998. passio sancti Adalberti.
1000. ordinatio sancti Gaudentii episcopi.
A.Hersf. 1002. Otto imperator tercius obiit, Heinricus successit.
1003. heremitae quinque in Polonia martirizati sunt.
Iul. 25. 1016. Kazimyr natus est.
1018. Bolezlaus superavit Ruziam.
1025. Bolezlaus Magnus obiit.
1026. Kazimyr ad discendum traditur.
1038. 1034. Mysko rex Poloniorum obiit.
Aug. 15. Apr. 16. 1039. Stephanus rex obiit.
1045. Mysco natus est.
1058. Kazimyr dux obiit.
1069. Mysco natus est filius Bolezlay.
1076. 1077. Bolezlaus secundus coronatus est.
Dec. 25. 1082. Bolezlaus secundus rex obiit.

1086. Bolezlaus tertius natus est. 1084.
1088. Mysko duxit uxorem. Dec. 23.
1089. Mysco obiit.
1091. Wladizlaus dux vicit Pomeranos ad Recim.
1092. Bogumylus archiepiscopus obiit.
1101. Lambertus episcopus obiit. Nov. 25.
1102. Wladizlaus dux obiit.
1103. Bolezlaus tercius duxit uxorem.
1105. Wladizlaus secundus natus est.
1109. tercius Bolezlaus aput Nackel vicit Pomeranos.
1110. Bolezlaus tercius intrat Boemyam. Oct. 1.
1113. Bolezlaus tercius Nachel et alia castra obtinuit.
1115. Bolezlaus tercius Pruziam vastat.
1116. Bolezlaus tercius Pomeriam subiugavit et duo castra obtinuit.
1118. in eundem Bolezlaum tercium comes suus palatinus insurrexit et ob hoc lumine caruit.
1119. Bolezlaus idem duos Pomeranorum duces bello convicit, unum ligavit et a. f.
1121. Hector interfectus est.
1122. Zuetopolk dux Odrensis interfectus est.

Alia manu saec. XII.

1136. Sophya obiit 6. Idus Octobris. Oct. 10.

ANNALES LUBINENSES.

Fragmenta tantum annalium sunt, qui ut integri ad nos devenerint, valde est optandum. Detexit enim Pertzius v. cl. in tegumine cuiusdam libri folium hoc unum adhuc exstans, idque absolutum inter ceteros librorum manuscriptorum bibliothecae regiae Berolinensis thesauros asservari iussit, ubi nunc signatum

est: Ms. Lat. fol. 321. *Legitur in huius folii margine inferiori inscriptio:* Iste liber est Lubinensis monasterii, *recentiori manu scripta et ad librum impressum spectans.*

Annales exarati sunt manu saeculi XIII. ineuntis, ita quidem ut prius annorum numeris rubro colore adnotatis, unicuique anno adscriberentur, quae aliunde desumpta scire dignissima viderentur. Quae autem vacua reliquit linearum spatia librarius alter scriba saeculi XIII. exeuntis notis de episcopis Poznaniensibus explevit. Valde differt haec episcoporum series ab illa, quam contexit Dlugossus, qui in praefatione ad vitas episcoporum Poznaniensium penuriam antiquarum auctoritatum dolens, ex variis et diplomatum et chronicarum notis composuit catalogum suum. Qui autem ab eo episcopi commemorantur inter annos 1147 *et* 1176 *sunt hi: Bogufalus* 1147—1150. *Peanus* —1151. *Stephanus* —1156. *Raduanus* —1162. *Bernardus* —1175. *Swantoslaus* —1176. *Non habet igitur Cherubinum, quem episcopatui praefuisse inde ab a.* 1164 *usque ad a.* 1172 *nostri tradunt annales. Ceterum ille etiam in synodo, quae dicitur Lanciciensis prima, et quae quando et ubi celebrata sit adhuc sub iudice lis est, praesens commemoratur (cf. Vincentii chron. ed. Mułkowski p.* 186. *L. IV. c.* 9*). Dlugossus (I,* 542*) hanc synodum ad annum* 1180 *refert, vim Vincentii narrationi afferens, ita quidem ut pro Lupo Plocensi Vitum episcopum Mazoviensem commemoret. — Quum diplomata autem adhuc archivorum tenebris opprimantur, non valemus varias controversias dirimere.*

cf. Ann. Kam. Apr. 12. aut 13. 1143. Robertus episcopus Wratislaviensis translatus est in episcopum Cracoviensem et ibi obiit.

cf. Ann. Kam. 1144. Matheus in episcopum Cracoviensem ordinatus presedit 23 annos.

1145. dedicatum est altare in Lubin sancte Marie a Conrado episcopo.

1146. *Bogufalus episcopus Poznaniensis obiit, Peanus succedit.*

1147. Cunradus imperator Poloniam intravit et cum regibus et ducibus Iherusolimam pergit. A. cap. Crac.

1152. *Peanus episcopus Poznaniensis obiit, Stephanus succedit.*

1153. sanctus Bernardus abbas Clarevalyus migravit ad Christum. A. Crac. comp.

1154. Henricus dux de Sandomir ivit Iherusalem. A. Crac. comp.

1157. item imperator Poloniam intravit. A. cap. Crac.

1159. *Stephanus episcopus Poznaniensis obiit, Bernardus succedit.*

1163. Bolezlaus filius Wlodislay a patruis reducitur in Zleziam. A. Crac. comp.

1164. *Bernardus episcopus Poznaniensis obiil, Cherubinus succedit.*

1165. Matheus episcopus Cracoviensis obiit, Gethco succedit. A. cap. et comp. Crac.

1166. Gethco in episcopum Cracoviensem consecratur. A. cap. Crac.

1167. dux Henricus cum exercitu suo interficitur in bello in Prusia. A. cap. Crac.

1170. sanctus Thomas martirizatur archiepiscopus. A. Crac. comp.

1172. Columba abbas Lubiniensis efficitur. *Cherubinus episcopus Poznaniensis obiit, Raduanus succedit.*

1173. Bolezlaus dux Cracoviensis obiit. A. Crac. comp.

1175. Iohannes abbas Lubinensis efficitur et Columba a fratribus inordinate eicitur.

ANNALES KAMENZENSES.

Hunc quem Wattenbachius primus detexit fontem, nos collatione instituta iterum lectoribus proponimus. Continet autem hosce annales codex bibliothecae regiae Wratislaviensis (Cl. IV. Fol. 216), *ubi in ultimi folii necrologio Kamenzensi saeculo XV. instituto adnexi inferiori parte leguntur saeculi XIII. ineuntis manu scripti. Quum enim die 25. mensis Iunii a. 1405 monasterium Kamenz mira quadam aquarum inundatione urgeretur, undarum vis et capsellam librorum intravit, et necrologium antiquum valde deletum est, ita ut frater Heinricus de Schmalkalden sequenti anno novum procuraret librum fratrum mortuorum, novoque libro pro tegumine adderet folium nostrum, sine dubio ultimum vetustioris, quum nomina, quae in eius superiori parte occurrunt, sint fratrum monasterii illius.*

Attamen Annales in monasterio Kamenz originem non sumpserunt, sed vulgati erant per Silesiam, quum iam Annales Cisterciensium in Heinrichow (M. G. SS. XIX. p. 544) et Chronicon principum Poloniae (apud Stenzel I. cf. p. 47. 53. 56. 71. 92) eos verterent in usum suum, et nostri inscriptione sua ipsi indicent, se hausisse ex cronicis Polonorum. Certe Annales Cracovienses sunt pro hoc fonte intelligendi, fortasse eorum codex qui in Annalibus Lubinensibus exscriptus est, cui auctor addidit commemorationes, quae et in Annalibus Cracoviensibus compilatis et in variis Annalium Polonorum redactionibus leguntur. Compilatori Kamenzensi praeterea noti erant annales, qui cum Annalibus Silesiacis compilatis quadam coniuncti erant affinitate, quae sententia eo confirmatur, quod nota marginalis de Sylvestro papa dyabolo homagium faciente ex uberiori eorum relatione desumpta sit.

Auctor noster artem criticam prorsus neglexit, immo

vero plane non intellexit; nam ut omittamus fabulas de corona et de Lamberto primo episcopo Cracoviensi, mira ignorantia Ottonem episcopum Bambergensem et sanctum Adalbertum temporibus aequales constituit. Quum autem Henricum imperatorem et Cunegundam uxorem sanctos appellet, elucet post a. 1204 *demum conscriptos esse annales, nisi velis notam extremam vindicare scribae Kamenzensi; quod equidem statuo.*

Ista accepta sunt de cronicis Polonorum.

Mesco qui appellatus est rex Polonorum, cum esset gentilis, sub pacto conversionis accepit Danbrovcam filiam ducis Boemie in uxorem, que venit ad eum anno incarnationis dominice nogentesimo sexagesimo quinto, de qua genuit Bolezlaum Magnum. 965.
Iste Mesco habuit sororem nomine Atleydem, quam Iesse rex Ungarie accepit in uxorem. Que cum esset christiana, virum suum Iesse convertit ad fidem Christi. Ista post visionem per beatum Stephanum prothomartyrem sibi revelatam concepit et genuit Stephanum regem Ungarie.

Anno Domini 967. Bolezlaus Magnus natus est.

Anno 975. Stephanus rex Ungarie nascitur.

Anno 984. Bolezlaus Magnus ducit uxorem.

Anno 990. Mesco filius Bolezlai nascitur.

Anno 995. Lambertus episcopus Cracoviensis efficitur.

Anno 997. passus est beatus Adelbertus in Pruscia.

Anno 1000. presidente Sylvestro secundo sedi apostolice, Stephanus rex Ungarie post obitum patris sui Iesse anno quarto misit Adstricum episcopum ad ipsum Sylvestrum pro corona regni petenda. Eodem tempore pro simili negotio premiserat dux Mesco Lambertum episcopum Cracoviensem, sed dominus papa visione monitus angelica coronam, quam duci Mesconi preparaverat, transmisit Stephano regi Ungarie. Iste Silvester homagium fecit diabolo.

Alibi dicitur quod illi heremite adhuc vivente sancto Adelberto martirizati sunt.

Anno 1003. heremite in Polonia martirizati sunt in Kazmir Benedictus, Matheus, Christinus, Iohannes, Ysaac.

Anno 1013. Mesco filius Bolezlai primi duxit uxorem sororem Ottonis tercii imperatoris.

Anno 1015. Kasimir dux natus est.

Anno 1025. Bolezlaus Magnus obiit. Iste dictus animosus, cum esset unicus patri Mesconi primo et nepos ducis Boemie consobrinusque regis Ungarie, audaciam assumpsit ex eorum adiutorio. Iste manu potenti terminos Polonie dilatavit, versus orientem usque in porta Kiov, versus occidentem usque in Salam. Ecclesiam Dei exaltavit, episcopatus distinxit et dotavit et ditavit, attribuens eis predia, castra, familias et servicia, omnem culturam eradicans ydolorum, fundans pacem et iusticiam in terra.

Anno 1067. Ieronimus episcopus Wratislaviensis obiit.

Anno 1071. Lambertus episcopus Cracoviensis obiit.

Anno 1072. Stanizlaus ei succedit et in episcopum ordinatur.

Anno 1074. ordinatio Petri episcopi Wratislaviensis.

Apr. 11. Anno 1079. passus est sanctus Stanizlaus episcopus Cracoviensis 3. Ydus Aprilis.

Item anno 1104. Bolezlaus tercius duxit uxorem Rutenam, de qua genuit Wlodizlaum; qua mortua accepit Theutonicam, de qua genuit quatuor filios Bolezlaum quartum, Mesconem, Heinricum et Cazimirum.

Item anno 1142. Radost episcopus Cracoviensis obiit et sequenti anno Rubertus episcopus Wratislaviensis translatus est in episcopum Cracoviensem et ipse ecclesiam sancti Wencezlai consecravit. Quo mortuo successit ei Matheus in episcopatu Cracoviensi et presedit 23 annis.

Item anno 1165. Matheus episcopus Cracoviensis obiit; sequenti anno Getco pro eo consecratur.

Nota quod secundum fidem cronicarum isti beatissimi principes et pontifices uno tempore fuerunt et mundum suis virtutibus decentissime in sua vita illustraverunt, videlicet sanctus Heinricus imperator et sancta Cunegundis, qui in matrimonio coniuncti tamen ambo virgines permanserunt et in Babenberc requiescunt; et sanctus Otto episcopus eiusdem civitatis, qui cum sancto Adelberto post conversionem Polonorum ad fidem, Pomoraniam ad Christum convertit, sed postea solus sanctus Adelbertus Pruzziam predicando invasit et ibidem martyrium sumpsit. In Ungaria autem sanctus Stephanus rex supra memoratus, sororius sancti Heinrici imperatoris, quem baptizaverat sanctus Adelbertus de mandato domini pape.

ANNALES CAPITULI CRACOVIENSIS ET ANNALES CRACOVIENSES COMPILATI.

Quum iam supra in praefatione generali de communi annalium omnium Cracoviae scriptorum fonte disputantes eos Annalibus Hersfeldensibus superstructos demonstraverimus, restat, ut pauca proferantur de Annalibus capituli Cracoviensis, quos inter omnes maxime ad antiquam accedere formam putamus, et de Annalibus Cracoviensibus compilatis.

Annales capituli Cracoviensis eos nominamus eo quod haud difficile intellectu sit, eos in capitulo sumpsisse originem. Iam saeculo duodecimo mortem huius collegii membrorum pluries adnotant, de ceteris capituli rebus bene instructi sunt. Accedit quod usque ad hodiernum diem unicus codex in archivo capituli asservatur. Adnotationes quas praebent reverendae sunt antiquitatis, iam saeculo duodecimo rerum gestarum menses et dies saepius adnotantur, saepius locorum factorumque testem oculatum auctorem indicant. In prima Annalium parte episcopi Wratislavienses nominantur Hieronymus, Petrus, Haymo, Robertus, ita ut eorum anni emortuales cum catalogis episcoporum Wratislaviensium paucis exceptis mendis chronologicis concordent. Quum autem antiquissimus catalogus Heinrichowensis medio saeculo XIII. scriptus sit, nostrique annales vix librum fundationis Heinrichowensis ipsum respexerint, elucet eos ex catalogo adhuc latente hausisse. Sequentibus annis silentium de episcopis Wratislaviensibus servatur, solummodo mors Iaroslai a. 1201 *adnotatur, et ad a.* 1250 *et* 1256 *quaedam de Thoma I. proferuntur. Animadvertendum autem est, episcoporum Cracoviensium seriem in nostris ab Aarone demum ordiri, quoniam Annales Polonorum I et III aeque ac catalogus eorum antiquissimus (M. G. SS. XIX. p.* 608) *nomina praebeant antecessorum.*

Codex Annalium asservatur in archivo capituli Cracoviensis, eumque ut Arndtius Cracoviae mense Maio a. 1864 *degens qua fieri potuit diligentia legeret et conferret, senex reverendissimus Ludovicus Łętowski, episcopus Ioppensis, decanus capituli Cracoviensis, benigne permisit, praebente quam liberalissime hospitalitatem viro reverendo Pietrzykowski, viceprocuratore capituli. Qui viri ut recipiant gratias debitas nostras, ex nova editione ipsi studiorum suorum ne noxam capiant, valde curamus. — Est autem codex membranaceus in folio, saeculo XIII. scriptus et primo loco, id*

est a pagina 1 *usque ad p.* 21, *Annales nostros continet, quos a p.* 21 *usque ad p.* 32 *diplomata varia variis manibus exarata excipiunt. A p.* 33 *usque ad p.* 105 *Calendarium Cracoviense obtinet locum, quod, quum iam saeculo decimo tercio institutum sit, per sequentia saecula praebebat occasionem res Cracoviae gestas ubivis, respectu diei et mensis habito, adnotandi. P.* 106 *legimus diploma pro altari sanctae Margarethae datum, p.* 107—109 *versus pro inveniendis diebus et calendarium, usque ad p.* 117 *diplomata sequuntur, p.* 119 *tabulam paschalem, p.* 120 *catalogum episcoporum Cracoviensium et duas figuras ad dies computandos invenimus. — Sed redeamus ad Annales. Praecedit eos prologus, cuius fragmenta tantum dare lectoribus possumus, quum inferior paginae pars ruptura deleta et adhibitis remediis chemicis scriptura multis in locis prorsus obscurata sit. Sequitur chronicon Ysidori, ita quidem adhibitum, ut auctor tantum daret nomina et numeros, eisque rarissime brevissimas adnotationes adderet. Paginae* 4 *secunda columna dimidia vacua relicta est, aeque ac totum folium sequens. P.* 7 *incipiunt Annales, ita quidem exarati ut annorum numeri in principio lineae ponerentur, etiam si nihil erat adnotandum. Si verba multa erant scribenda, scriba plures explevit lineas, sequenti anno novam lineam dedit. Primae notae usque ad verba* et Pipinus Italiam intrat *alia manu alioque atramento scriptae sunt. Omnia sequentia usque ad a.* 1267 *verba* domni Pauli prefati Cracoviensis episcopi obiit *una eademque manu exarata sunt. Ab hoc loco usque ad finem variae sese alternatim excipiunt manus, iis quae scripserant coaevae. Saepius in initio sententiarum signum paragraphi rubrum positum est. Saeculo decimo quinto codex Dlugosso erat ad manus, qui multa in eo mutavit, multa quoque adiecit, quae omnia ab annalibus genuinis aliena ex textu removimus.*

Annales Cracovienses compilati in eodem leguntur

codice, ubi manu saec. XIV. statim post Ysidori chronicam in spatio a primo scriba vacuo relicto scripti sunt usque ad annum 1247; *continuatio eorum inde ab a.* 1255 *usque ad a.* 1291 *exstat in p.* 16 *duabus columnis scripta. Compilatoris munere functum fuisse horum annalium auctorem eo evincitur, quod in usum suum vertit commemorationes illas de antiquis Poloniae regibus fabulosas, quas quidem vetustas esse quisque dixerit, quum iam auctori chronicarum Polonorum, quem olim Martinum Gallum dicebant, fuissent notae. Accedit quod auctor saepius unam eandemque rem in duobus vel etiam tribus profert locis, cuius ad rei exemplum de pugna apud Moskavam in annis* 1195 *et* 1196 *tres habes narrationes. Neque accurate adhibuit fontes, quum exempli gratia a.* 1147 *de Conrado III. relationem denuo ad a.* 1247 *proferret. — Attamen haud spernendi sunt annales, quum, ut iam supra monuimus, fulti sint annalibus deperditis.*

Ediderat utrosque annales Ludovicus Łętowski, v. rev., in appendice quarti tomi libri: Katalog Biskupów, prałatow i kanoników Krakowskich, w Krakowie 1853.

ANNALES CAPITULI CRACOVIENSIS.

INCIPIT PROLOGUS.

Prima pagina sub typo talenti crediti . . . . mea servus torpens reus arguitur absque alio eo quod non studuerit gratis dare, quod ipse gratis accepit. Quicquid enim ecclesie Domini erat profuturum non inmerito subtraxisse vix arguitur, cum noluerit omnibus dare quod ipse non celandum accepit. Unde et psalmi-
Ps. 39, 11. 12. *graphus vaticinans dicit:* Iusticiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem et salutare tuum dixi, non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam

a concilio multo. *Et pro hoc opere quasi vicissitudinem postulans adiecit:* Tu autem Domine ne longe facias miseraciones tuas a me, *quasi diceret: Sicut ego feci alios misericordiam invenire, ita et ipse non paciaris longe fieri misericordias tuas a me. Cum igitur de talenti crediti distribucione tanta speretur retribucio, opere precium est, ut aliquid de hiis que legi vel audivi edisseram ad edificacionem proximorum. Quia vero in tradicionibus annalium gestorum quedam colligi possumus ad morum informacionem, quedam ad malorum eversionem et detestacionem, quia malum nisi cognitum sane non vitatur, quedam vero ad cautelam futurorum quia preteriti ....icio scire futura facit, oportunum existimo ad pro ....ctum legencium et utilitatem audiencium ......nalia gesta temporum preteritorum ad memori(am) presencium revocare, quia, ut dicit Eth(i)cus:* hec meminisse iuvabit. *Ex ipsis ita sumus pro diebus quibus nos hu(milia)sti (et c)etera. Preterita enim, ut dicit Horosius .... habentur in verbis quanto ......ntur in gestis. Ideo qua....uedam leta sicut expostulat....... Polonie edisserens et quedam ....ndem inserens a creacione .... ordinis verborum secundum Ysi......ribendo et huic opusculo de .... preponendo ut creator... sum.....isa causalissima unus Deus .... in personis merito commendetur ....ecatur in mundi creacione, unus ....m causam laudabili ausu mi......urabili eloquio quesivit invenit...... eam divinam essenciam formalem ....alem divinam bonitatem exor....um insistens in omnibus bre...ntas audiencia est amica .... quod gratum est omnibus ......ritans dificultate .... caruerit penitus. Amen.*

EXPLICIT PROLOGUS.

Prima etas in exordio suo ...creacione mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit angelos; secundi in firmamenti appelacione celos, tercio in die ....creacionis vocabulo speciem aquarum et terre; quarto autem luminaria celi; quinto vero animancia ex aquis, sexto animancia ex terra et hominem, quem appellavit Adam.

Sequitur Ysidori opus de sex aetatibus mundi usque in verba haec: Residuum sexte etatis tempus Deo soli est cognitum. Colligitur omne tempus ab exordio mundi usque in anno decimo gloriosi Recesuinthi principis, qui est era 696, anni 5856.

A.Hersf. 730. **Beda presbiter obiit.**
734. **Karolus Frigiam vastat.**
735. Karolus Wasconiam invasit.
741. Karolus moritur.
744. inicium Fuldensis ecclesie.
746. Karolomannus Alemaniam ingreditur.
748. Karolomannus Romam pergit tonsoratus.
750. Pipinus iubente Zacharia papa per unctionem sancti Bonifacii episcopi rex appellatur.
754. Bonifacius martirizatur et Pipinus Italiam intrat.
755. organum primum in Franciam venit.
756. Pipinus rex Saxoniam ingreditur.
757. Pipinus rex Wasconiam intrat.
766. Sclavi victi sunt a Francis.
768. Pipinus rex obiit.
771. Karolomannus rex, frater Karoli, obiit.
772. Karolus in Saxonia Hersburch expugnat.
773. Karolus in Ytaliam venit.
774. Ytalia capta est a Francis et Karolus Romam pervenit.
778. Karolus contra Saxones pugnavit.
779. Item Karolus in Saxoniam venit.
781. Saxonia capta est.
782. Karolus Romam venit, ibique baptizatus est filius eius Karlomannus, quem Adrianus mutato nomine Pipinum vocavit.
786. Item Karolus venit Romam, et sanguis de celo profluxit.
787. Karolus per Alemaniam pervenit ad fines Bavarie.
788. Tasilo venit in Franciam et Bavaria capta est.
789. Karolus pervenit in Sclavos et qui dicuntur Wiltrei subegit.
790. Karolus in Pannoniam venit.
792. Karolus regnum Hunnorum vastat.
794. Frustrada regina obiit.
801. Karolus a Romanis augustus appellatus est.
807. in cenobio Fuldensi fratrum mortalitas magna fuit.
813. pons apud Moguncіam arsit. Radulfus archiepiscopus obiit. Ottagarius successit.
814. Karolus imperator obiit. Ludvicus successit.
816. statutum est, ut omnes monachi cursum beati Benedicti cantarent.
840. Lodvicus imperator obiit.
842. divisio regni.
843. Iudit regina obiit.

855. Lottarius imperator obiit.
860. Meginradus heremita martirizatus est.
869. Lotarius rex obiit.
872. Wormacium ictu fulminis comburitur.
875. Lodvicus cesar in Italia obiit et Karolus rex Gallie Romam pervenit.
877. Lodvicus filius Lodvici obiit, et bellum in Ripuaria inter Lodvicum et Karolum committitur.
879. Karolus filius Lodwici regis Francorum et frater Karlomanni et Lodvici in Italiam intravit.
881. Karlomannus rex Bavarorum obiit.
882. Karolus Rome cesar efficitur.
887. Karolus imperator regno privatur et Arnulphus filius Karlomanni in regem elevatur.
889. Karolus imperator obiit.
890. Liubertus archiepiscopus obiit, Sinderoldus succedit.
891. Sinderold archiepiscopus a Normannis occiditur et Hatto ei succedit.
894. Arnulphus in Italiam venit.
895. de miseria famis ac mortalitatis christiani homines alter alterius carnem comederunt.
897. Arnulphus Rome cesar efficitur.
899. Ungari in Italiam ingressi sunt. Arnolphus obiit. Lodvicus filius eius in regem elevatur.
901. Arnulphus imperator obiit.
906. bellum inter Conradum et Adalbertum et Francos, in quo Cunradus cecidit.
907. Ungari in Saxoniam venerunt.
931. sanctus Ambrosius episcopus Mediolanensis obiit.
933. Hungarorum exercitus ab Henrico interfectus est.
934. Hinricus Danos subegit.
936. Hinricus rex obiit, Otto filius eius successit.
937. monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii comburuntur.
940. hyemps valida. Comete vise sunt. Mortalitas iumentorum.
947. invencio sancti Stephani protomartiris.
951. Otto primus rex Ytaliam subegit.
953. Maguncia ab Ottone obsessa est. Fridricus archiepiscopus obiit, Willihalmus successit.
955. Luidolphus filius Ottonis obiit.
958. cruces apparuerunt in vestibus.
961. Otto in regem elevatur. Eclypsis solis.
963. Otto imperator appellatur.
965. Dubrovka ad Meskonem venit.
966. Mesco dux Polonie baptizatur.
968. iunior Otto per Leonem papam cum patre suo coronatur.
969. Willihalmus archiepiscopus obiit, Hatto successit.
970. Hatto archiepiscopus obiit, cui Robertus successit.

981. Zlavnyk pater sancti Adalberti obiit.
A. Prag. 987. Strezizlava mater sancti Adalberti obiit.
A. Prag. 990. professio sancti Adalberti cum fratre Gaudencio.
A. Prag. 997. passio sancti Adalberti.
999. ordinacio Gaudencii in episcopum.
Annal. Hersf.? 1002. Otto imperator III. obiit. Henricus successit.
1003. heremite in Polonia martirizati sunt.
Annal. Hersf.? 1009. Bruno episcopus matirizatus est.
1012. Hermannus dux obiit.
1015. Wladimir dux Ruthenorum obiit.
Iul. 25. 1016. Kazimirus dux natus est 8. Kal. Augusti, luna 16.
1018. primus Boleslaus Ruthenos superat et terram vastat.
1025. primus Bolezlaus rex Magnus obiit. Lambertus filius eius succedit.
1026. Kazimirus traditur ad discendum.
1027. Ypolitus archiepiscopus obiit, Bossuta succedit.
1028. Stephanus archiepiscopus obiit.
1030. Romanus et Lambertus episcopi obierunt.
1033. Otto dux obiit.
1034. Mesko rex Polonie obiit.
1037. ordinatus est Sula presbiter.
1038. corpus sancti Adalberti translatum est.
1039. Stephanus rex Hungarorum obiit.
1045. Mesko filius Kazimiri nascitur 16. Kal. Maii, luna 25.
1048. Otto dux obiit.
1058. Kazimirus dux obiit.
1059. Aaron archiepiscopus Cracoviensis obiit.
1060. Petrus rex Hungarie obiit.
1061. Zula in episcopum Cracoviensem ordinatur et tunc cognominatus est Lambertus.
1065. Mesko filius Kazimiri ducis obiit. Ieronimus episcopus Wratizlaviensis obiit.
1069. Mesko natus est filius Bolezlai.
1071. Sula, cognominatus Lambertus, episcopus Cracoviensis obiit.

1072. Stanyzlaus succedit.
1074. ordinatio Petri episcopi Wratizlaviensis.
1076. Cristinus natus est.
1077. Bolezlaus II. coronatur, qui occidit sanctum Stanizlaum.
1078. rex Ruthenorum in prelio interfectus est.
1079. Stanizlaus episcopus Cracoviensis sancte vite, virtutum radians claritate, qui Petrum heredem de Potravin, a quo ipsum Potravin emerat, ut sue ecclesie redditus ampliaret, a mortuis suscitavit, ut super vendicione ipsius hereditatis eidem episcopo coram rege infauste memorie Bolezlao perhiberet testimonium veritati, ab ipso rege Bolezlao sceleroso etinhumaniter agente, infulatus pontificalibus amictus agens misse sollempnia, ad altare in ecclesia sancti Michaelis de Rupella martirizatur et frustatim concisus alitibus et feris dispergitur tercio Ydus Aprilis. Verum quia Deus qui semper iustis vult ad- Apr. 11.
esse, volens glorificare suum miraculorum martirem, claritate singulas minucias frusticulorum corporis sui martiris, qui est passus pro excidio et iniuria sue plebis, superni luminis radiis irradiat, quatuor aquilas pro custodela et defensione sacrati corporis deputat, ne qua sanguipetarum alituum aut ferarum has suis morsibus audeat attemptare. Tandemque sine omni notamine cicatricum sanum et salvum redintegrat totum corpus, quod sic redintegratum fuit commendatum a viris fide dignissimis sepulture.
1081. secundus Bolezlaus rex obiit.
1082. item ordinacio Lamberti in episcopum Cracoviensem.
1086. Mesko filius Bolezlai secundi de Hungaria
rediit et Bolezlaus tercius natus est. Iudith mater 1084. Dec. 25.
sua obiit.
1087. Dobronega uxor Kazimiri obiit.
1088. Mesko uxorem duxit.

1089. Mesko regis Bolezlai filius obiit.

1091. Wladizlaus, cognominatus Hermannus, dux, vicit Pomoranos ad Rechen.

Iul. 15. 1099. Ierusalem a christianis capta est.

Nov. 25. 1101. Lambertus episcopus Cracoviensis obiit 7. Kal. Decembris.

Iun. 5. 1102. Hermannus dux Polonie cognominatus Vladislaus obiit.

1103. Balduinus Rome consecratus est in episcopum Cracoviensem.

1104. Gualo episcopus Belvacensis sedis apostolice legatus intrat Poloniam, Urbano II. sedi apostolice presidente, et duos episcopos deponit.

1105. Vladizlaus secundus natus est.

Aug. 7. 1106. Henricus III. imperator obiit, Hinricus filius suus succedit.

1109. Balduinus episcopus Cracoviensis obiit, Maurus succedit.

1111. 1110. Petrus episcopus Wratizlaviensis obiit.

1110 1111. Henricus filius Henrici in imperatorem Rome consecratus est. Bolezlaus devicit Bohemos.

1113. Bolezlaus tercius Nakel et alia castra obtinuit.

1115. natus est Lzstek filius Bolezlai.

1117. Skarbimir palatinus contra ducem Bolezlaum insurrexit et cecatur.

Mart. 5. 1118. Maurus episcopus Cracoviensis obiit, Radost successit.

1119. Item Bolezlaus Pomoranos duces bello devicit et utramque possedit terram.

1125. Cracov• combustum est.

1126. Heymo episcopus Wratizlaviensis obiit. Robertus succedit.

1127. Hinricus imperator obiit, Lotharius succedit. Bolezlaus quartus natus est.

1130. Innocencius secundus cepit sedi apostolice presidere.

1131. Kazimirus secundus filius Bolezlai III. obiit.

1135. Wizlicia cede destruitur 5. Idus Februarii. Febr. 9.

1137. Lottarius imperator obiit.

1138. dux Bolezlaus tercius obiit 5. Kal. Novembris. Kazimirus secundus nascitur.

1142. Radost episcopus Cracoviensis obiit, Robertus succedit.

1143. Robertus episcopus Cracoviensis obiit, Matheus succedit.

1146. Wladizlaus fugit et Cracovia devastatur.

1147. Cunradus imperator Poloniam intravit et cum regibus et ducibus Ierusalem pergit.

1148. dedicacio ecclesie sancti Salvatoris.

1156. Alexander et Stephanus episcopi obierunt.

1157. item imperator Poloniam intravit.

1159. Wladizlaus dux Polonie obiit.

1162. Iazko Ierosolimam ivit.

1165. Matheus Cracoviensis episcopus obiit. Oct. 18.

1166. Gedko in episcopum consecratur in die Iun. 19.
sanctorum Gervasii et Prothasii.

1167. dux Hinricus interfectus est cum exercitu suo in bello in Prusia.

1170. Thomas archiepiscopus martirizatus est. Dec. 29.

1172. imperator intrat Hungariam. Bolezlaus obiit.

1173. Bolezlaus Crispus, dux Cracoviensis, Han- Oct. 31.
nibal custos Cracoviensis obierunt.

1176. Iazco obiit.

1177. Kazimirus Cracoviam optinendam intrat. Magister Amileus et Valentinus canonicus obierunt.

1178. Woyzlaus frater episcopi et Vibertus canonicus obierunt.

1179. Bogdanus prepositus Cracoviensis obiit. Oct. 22.

1180. Troianus frater episcopi obiit.

1182. dux Kazimirus devicit Ruthenos. Bolezlaus filius Kazimiri obiit.

1184. sanctus Florianus martir per Egydium epi-

scopum Mutinensem apportatur et per Gedkonem episcopum Cracoviensem devotissime suscipitur.

1184. Sept.20. 1185. Gedco episcopus Cracoviensis obiit.

1186. dux Lezstko obiit, Kazimirus optinet ducatum.

1187. Fulco ab Urbano papa in episcopum Cracoviensem consecratur.

1188. Ierosolima capitur a paganis.

1189. Iohannes cardinalis cognominatus Malabranca venit in Poloniam.

1190. Fredricus imperator obiit.

1191. Cracovia devastata est a Meskone.

1194. dux Kazimirus frater ducis Meskonis obiit.

1195. inter Mesconem et Lezstkonem filium Kazimiri factum est prelium magnum in Moskava, et Mesko vicit, et Bolezlaus suus filius est occisus. Tunc dux Mesko Cracoviam optinet.

1196. Mrokota episcopus Poznaniensis obiit.

1197. Petrus cardinalis venit in Poloniam sedis apostolice legatus, qui instituit matrimonium contrahere in facie ecclesie et habere uxores sacerdotibus interdixit.

1200. Mesko edificat Botun.

1201. Bolezlaus dux Zlesie et Iarozlaus filius suus episcopus Wratizlaviensis obierunt.

1202. dux Mesko frater Kazimiri obiit. Dux Lezstco filius eiusdem Kazimiri Cracoviam obtinet.

Ian. 19. 1205. Romanus fortissimus princeps Ruthenorum elevatus in superbiam et exaltans se in infinita multitudine sui exercitus numerosi, a Lezstcone et Cunrado filiis ducis Kazimiri, cooperante omnipotentis auxilio, qui propria virtute sublimium colla calcat, qui forcia frangit et elisa erigit, in Zavichost est in prelio interfectus. Tunc enim adeo superni opitulaminis fortitudo affuit, quamquam paucissimis qui residui de paucis exercitibus dictorum ducum iam ad propria redeuntibus pro sui lassitudine et gravitate

remanserant, ut cum retroversi infinitas phalanges prefati Romani dolose et fraudulenter excidium Polonie procurantis audaci congressu impeterent, unus mille et duo decem milia fugaverunt. Insuper cedis valitudinem inauditam fuit protestata et exundans cruoris effusio in flumine Wizla. Tunc unda ibidem nativo colore in rubrum commutante et innumerosa cadaverum ibidem in Polonorum victrici dextera cadencium multitudo.

1207. Fulco episcopus Cracoviensis obiit. Sept. 11.

1208. Wincencius canonice electus, a papa Innocencio confirmatus et per Henricum archiepiscopum in episcopum Cracoviensem consecratus est.

1211. Mesco dux Ratiborie obiit, Kazimirus filius Mai. 16.
suus succedit.

1215. Rome factum est concilium tempore Innocencii III.

1216. Innocencius papa predictus obiit. Iul. 16.

1217. Christinus palatinus Mazoviensis, miles strennuissimus precepto ducis Cunradi cecatur, tandem violenter iugulatur. Et quia summa petit livor, quia eciam cum male queruntur prospera, sepius adversa succedunt, flos milicie Mazoviensis marcore lividorum cecidit et murus tocius est Mazovie dissipatus, totalisque terra Mazovia lacte et melle manans, tunc maxime mel in absinthium et lac incepit in adversa nubila commutare.

1218. Wincencius episcopus Cracoviensis cedit. Ivo succedit et per Henricum archiepiscopum in episcopum Cracoviensem consecratur.

1219. Henricus archiepiscopus obiit. Mai. 22.

1221. in Prudnik hospitale de sancto spiritu per Ivonem episcopum de consensu capituli constituitur.

1222. per eundem Ivonem ordo Predicatorum ad Sanctam Trinitatem de civitate, et in Kacich ordo Cisterciensis statuitur.

1223. Wincencius episcopus Cracoviensis obiit

et in Morimundo quiescit. Gregorius tercius cardinalis in Cracoviam venit. Dedicatio Sancte Trinitatis.

1224. magister Benedictus obiit, qui contulit capitulo Cracoviensi villam in Wilka cum molendino. Mykul archidiaconus contulit eidem capitulo villam Tune.

1225. Henricus dux Zlesie stetit in Cracovia octo diebus cum suo exercitu et recessit. Ordo de Kacich transfertur in Mogilam.

1226. in Mogyla dicta Clara-tumba fundatur cenobium Griseorum. Bolezlaus filius Lezstkonis nascitur
Iun. 21. 11. Kal. Iulii.

1227. Lezstko dux Cracovie interfectus est in colloquio a filio Odonis sub fraude.

1229. Henricus dux Zlesie captus est a duce Cunrado. Dux Wladizlaus filius Odonis captus est a sene Wladizlao in bello. Ivo episcopus Cracoviensis in exilio obiit. Castrum edificatur in Pregina a duce H.

1230. ecclesia Cracoviensis combusta est.

1231. consecratio Wislai episcopi Cracoviensis. Dux Wodizlaus obiit.

1232. sanctus Anthonius frater ordinis Minorum kathalogo sanctorum ascribitur.

1233. Henricus dux Zlesie intrat terram Odoniz, et castrum Kalis ei traditur et aliud edificatur.

1234. Teuthonici cum duce Cunrado in Prussia sine contradictione 3 ebdomadas steterunt terram vastantes.

1236. Salomon decanus Cracoviensis obiit.

1237. Radulphus cantor Cracoviensis obiit.

1238. Henricus dux Zlesie et Cracovie obiit. Cui Henricus suus filius in utroque dominio successit.

1239. Bolezlaus filius Lezstkonis filiam regis Hungarie duxit in uxorem. Odoniz obiit. Iohannem cancellarium Cunradus suspendit.

1241. Tarthari Cracoviam intrantes ecclesias succendunt, populum sine delectu etatis et sexus inter-

ficiunt, milites multos Cracovienses in congressu cum ipsis maxime ob prede avariciam, que Polonis in prelio est innata, sub astu callido occidunt, multam predam secum asportant. Tandem Zlesiam ingressi et cum duce Henrico et suo exercitu congressi, ipsum April. 9.
ducem et de exercitu ipsius neci plurimos addiderunt, et sic multo excidio cedibus atque dampnis Polonie crudeliter illatis, illesi ad propria per Hungariam, totum mundum ex sua crudelitate gravi horroris percellentes formidine, redierunt. Quos tamen non robur virium efficit formidandos, nec robusti brachii fortitudo, verum sola cruenta crudelitas ac infidelitatis versucia fraudulenta. Dux Conradus Cracoviam tenet.

1242. domnus Wislaus episcopus Cracoviensis Mart. 15.
obiit, cui domnus Prandota succedit. Dux Conradus Cracoviam tenens milites quos sibi adversari credebat, captivat et incarcerat.

1243. Boleslaus dux filius Lezstkonis cum duce Cunrado suo patruo et aliis ducibus, qui venerant eidem duci C. in auxilium, prelium in Suchdol committit 8. Kalendas Iunii, et Dei potencia dictum B. Mai. 25.
et suum exercitum protegente, ipse dux C. dedit terga, cum suis exercitibus superatus. Tunc patuit manifeste quantum oraciones populi et clamor in altum sublatus prefato principi B. ad victoriam profuerunt, quantum vero duci Cunrado crudelis exactio in plebem et iniuriosa comminacio in ecclesiam Dei prestiterint nocumenti.

1244. Ruteni per diversos insultus Lublin devastant et ecclesias succendunt. Kylcia per milites ducis Cunradi devastatur.

1245. Innocencius papa IV. concilium episcoporum et regum Lugdunum convocat, in quo imperatorem Fredricum imperio destituit et sathane commen- Iun.
dat eundem.

1246. Opizo abbas de Mezano domni pape vices gerens anno in Polonia mansit uno.

1246. dux Cunradus, Kazimirus filius eius et Mesko dux de Opol edificant castrum in Cracovia, ubi Rudava intrat Vizlam; aliud prope Tinciam super rupem; tercium in Lelow. Sed postea statim in Cracovia duci Bolezlao edditur, in Tincia acquiritur. Deinde mortuo Meskone Lelow restituitur.

1247. ecclesia sancti Wencezlai in Cracovia de plumbo tegitur preter turres, quesunt ante Thartaros cooperte.

1248. Godefridus legatus quintam exegita clero de redditibus ecclesiarum. Eodem anno Iacobus archidiaconus Leodiensis sedis apostolice legatus veniens in Poloniam indulsit in Polonia, quibus placet carnes comedere post septuagesimam.

1250. ecclesia beati Wencezlai pavimentatur. Miracula beati Stanyzlai martiris gloriosi per domnum Fulconem archiepiscopum Gneznensem, Thomam episcopum Wratizlaviensem et ...... abbatem de Lubes examinantur.

1251. magister Iacobus doctor decretorum et magister Garardus canonici Cracovienses cum Predicatoribus et Minoribus pro canonizacione beati Stanyzlai certi nuncii et procuratores eiusdem negocii ad Romanam curiam destinantur. Sal durum in Bochna est repertum, quod nunquam ante fuit.

1252. magister Iacobus et magister G. de Romana curia redeunt. Beatus Petrus de ordine fratrum Predicatorum, Lombardus genere, ab hereticis pro fide katholica occiditur et eodem anno canonizatur et kathalogo sanctorum martirum ascribitur a domno Innocencio IV. papa. Celebratur autem 3. Kal. Maii sollempnitas eiusdem martiris gloriosi.

1253. item magister Iacobus et magister Gozvinus, canonici Cracovienses, ad Romanam curiam remittuntur pro canonizatione dicti sancti Stanyzlai. Qui sanctus eodem anno per domnum papam Innocencium IV. canonizatur et kathalogo sanctorum

martirum ascribitur, eiusque sollempnitas 8. Ydus Maii cum reverencia et veneracione statuitur celebrauda. Prefati autem nuncii spe non fraudati, desiderio potiti adeptique sui negocii exitum peroptatum, leti et incolumes in Poloniam sunt reversi. Eodem anno dux Bolezlaus Cracovie et dux Wladizlaus Opoliensis cum Ruthenorum exercitu terram Opaviensem vastaverunt et multam familiam et predam aliam idem Rutheni abduxerunt.

1254. Gedko miles obiit, qui centum vel amplius annorum senex exstitit. Hic multa miracula sancti Stanyzlai magistro Petro preposito Kylciensi ea scribenti et gesta Polonorum militum inclitorum, fideliter enarravit.

1256. rex Willhelmus de Holandia occisus est per Frisones. Thomas episcopus Wratizlaviensis per Bolezlaum ducem Zlesie captus tractusque misere Oct. 6.
in Legnicz, fuit arte custodie deputatus. Eodem anno idem episcopus dimittitur. Lanchicie provincialis synodus celebratur.

1257. Cracoviensis civitas iuri Theutonico traditur et situs fori per advocatos et domorum et curiarum immutatur. Sed iidem advocati in sua advocacia modicum duraverunt. Eodem anno ordo de penitencia beatorum martirum intrat Poloniam, pontificatus Alexandri IV. Eodem anno pridie Kal. Febru- Ian. 31.
arii luna quarta, infra horam prime, factus est terre motus.

1258. Fulco archiepiscopus Gneznensis obiit. April 4

1259. Bolezlaus dux Cracovie cum alio B. duce Polonie cum suis exercitibus terram Lanciciensem devastarunt. Eodem anno Thartari barbarica rabie sevientes fraude infidelitatum virulenta, que quanquam ceteris barbaris sit inolita, hiis precipue est innata propensius prepotentes et tanquam sevire belua semper prompta terram Sandomirie ingressi sua truculencia inhumana, que nec sexui consuevit

parcere nec etati, que nec prece nec precio valet nec servicio ad misericordiam inclinari, homines neci addunt, sanctuaria Domini igne cremant, totam terram depopulantur. Castrum Sandomirie magis calliditate doli quam robore virium capiunt, in quo plurimis occisis, paucos residuos captivantes Cracoviam sunt ingressi, ubi homines plurimos occiderunt, plurimos eciam captivos secum cum preda maxima ad propria remeantes illesi abduxerunt. Et hii Sandomirie et Cracovie provinciis cedes dampna et excidia graviora prioribus Thartaris inflixerunt.

1260. quidam homines turbatim glomerati, usque ad umbilicum corpore nudi; agentes penitenciam, que fertur Perusii recepisse exordium, quam laycalis turba Theutonica fuit ferventissime amplexata, velati oculis sua nuda dorsa flagellantes flagellis singulis quadruplici corrigia connodatis Cracoviam intrantes ipsa penitencia peracta ad ecclesias...... de civitate subito sunt egressi. Et hii quia auctoritatem ecclesie que ipsos nequaquam decebat temere usurpabant, in ipsius ecclesie preiudicium et gravamen ab ipsa ecclesia sunt deiecti et tanquam pseudopenitentes suo errore cognito non ultra coniuncti, immo sunt ab invicem separati. Penitencia igitur eorum que per se ipsam sumpsit exordium, deficiens desiit in se ipsa.

1260. Albertus prepositus Lanchiciensis et canonicus Cracoviensis, qui contulit villam Zelonki ecclesie Cracoviensi, obiit. Lelov castrum per Kazimirum ducem edificatur et statim per Bolezlaum ducem destruitur.

1262. Ioannes capellanus de Luboricia 16. Kal. Ianuarii obiit. Semovitus dux Mazovie a Lituanis in Iazdov in vigilia beati Iohannis baptiste occiditur et Cunradus filius eius capitur.

1263. ecclesia sancti Marci ad fratres de penitencia beatorum martirum in civitate fundatur. Ec-

clypsis solis in die sancti Dominici luna 27. Mendoch Aug. 5.
rex Lytwanorum a Litwanis occiditur.

1264. cometa sive cometes, quem quidam dicunt ignitum sydus, quidam nubem accensam, apparuit et stetit quasi octoginta diebus. Mortalitas animalium. Stroynat potens princeps Lituanorum qui occiderat Mendog, occiditur per Theophilum et per Woysalk filium ipsius Mendog regis. Tandem Comat princeps Iazwiditarum in bello per Cracoviensem exercitum occiditur.

1265. castrum edificatur in Cracovia super totum montem cum lignis.

1266. Bolezlaus dux Cracoviensis misit exercitum in Russiam et vicit Swarnonem et multos de Ruthenis occidit, non tantum propria virtute sed orationibus ecclesie et superno auxilio adiuvante. Nec hec victoria est humanis viribus sed pocius divine potentie asscribenda. Terram eciam idem exercitus ducatus ipsius Swarnonis devastavit.

Eodem anno venerabilis pater domnus Prandota
episcopus Cracoviensis in vigilia beati Mathei ewan- Sept. 20.
geliste, licet corpore multis diebus languens, audita missa et omnibus horis et officiis ecclesiasticis diurnis, sana mente devotissime expletis, circa crepusculum nocturnum, spiritum de hergastulo corporis in Domino relaxavit. Hic itaque ut re et nomine verus procurator ecclesie censeretur, sue ecclesie redditus patrimonia et ceteras utilitates secundum equitatem eidem congruentes, libertatem clero omnimodam secundum Deum iusticiam et tutelam a persecucione omnimoda laycali et patrie liberacionem studiosissime procuravit. Hic in benedictionibus Domini preventus super quem gracia superna propensius pluribus suis predecessoribus est illapsa, huiuscemodi prerogative privilegio meruit insigniri, quod beatus Stanyzlaus gloriosus martir, contectus pulvere sepulture tanquam gemma sub alga pelagi, tanquam lux

abscondita sub modio, canonizatus suo tempore et kathalogo sanctorum martirum asscriptus, sua procuratione suisque manibus de terra tumuli est exceptus. Hic igitur hoc epitaphio propter sua gesta preclara per iugem gloriam meruit perhennari.

Epytaphium:

Hic iacet ecclesie decus, hic pastor bonus, hic flos
Iusticie, cleri Prandota presul honor.
Hic via veri, gloria cleri, Prandota tota
Laus patrie, pater inclitus est situs aula sophie.

Aliter:

Flos situs inclitus hic cleri veri via legis
Egis presul agaps Prandota tota gregis.
Hic sacer e tumulo te Stanyzlae levavit,
Te sanctum populo pater alme levando probavit.

Vel sic:

Hic sanctum titulo sanctorum te sociavit.

Oct. 9. Eodem anno scilicet 1266. septimo Idus Octobris, die electioni per capitulum Cracoviense legitime assignato, domnus Paulus filius comitis Iazdonis, canonicus Cracoviensis, in episcopum per arbitros magistrum Gerardum prepositum Wizliciensem, magistrum Stephanum et Wisson, Cracovienses canoni-
Oct. 28. cos, est electus. Tandem eodem anno in die Symonis et Iude apostolorum per domnum Ianussium Gneznensem archiepiscopum fuit in Uneyov confirmatus.

Mart. 12. 1267. Idem domnus Paulus sabbato in quo cantatur: *Intret oracio*, in sacerdotem et proximo se-
Mart. 13. quenti die dominico quo cantatur: *Reminiscere*, in episcopum in Lelow per domnum Ianussium archiepiscopum consecratur, et tunc facta est leticia magna in populo tam clero quam laycis, ita eciam quod leti
Febr. 9. festas duxere coreas. Eodem anno in octava purificationis sancte Marie venerabilis pater domnus Guido militans Deo sub norma et ordine Cysterciensi tituli Sancti Laurencii in Lucina presbyter cardinalis, le-

gatus a latere sedis apostolice in partes Polonie et alias destinatus, concilium in Wratizlavia sollempniter fecit et multas constituciones salutiferas statuens sanxit tenendas. Hic venerabilem patrem domnum Paulum ecclesie Cracoviensis predictum episcopum tunc electum super archiepiscopum et omnes episcopos Polonie fuit propensiori favore et gracia prosequutus et honoris ampliori preminencia honoravit. Hic quinto Kal. Iulii in Cracoviam veniens Iun. 28.
paterna pietate plus solito exuberans, benignissimus in clerum et laycos apparuit, totum mansuetissimum eisdem in omnibus se presentans. Eodem anno tercio Ydus Septembris domnus Goslaus antiquus Sept. 11.
canonicus Cracoviensis primus officialis et penitenciarius domni Pauli prefati Cracoviensis episcopi obiit. Dux Kazimirus obiit. Hic affabilis multum extitit, lautam mensam tenuit, hospites nuncios miro caritatis affectu suscipiens benignissime pertractavit, ob quam causam celebris fame preconio ab ignotis meruit insigniri. Verum eciam affabilis graciosus multumque inferioribus predilectus, nam eo dominante nullus palathinus, nullus castellanus, nullus in quacumque dignitate constitutus ullam violenciam, ullam calumpniam vel aliquam iniuriam ausus fuit inferre, nec fenum rapere nec vim aliquam irrogare. Divinum officium multum dilexit et affectuosius audiens, fecit sepius missas sanctorum sollempniter celebrari.

Eodem anno magister Iacobus decanus Cracoviensis, scolasticus Bamberigensis, cantor Wladizlaviensis, canonicus Wratizlaviensis, capellanus domni pape et regis Bohemie obiit 11. Kal. Maii. Hic in Apr. 21
Skaressov de hospitibus parentibus extitit oriundus. Hic exigui corporis, parve stature, nigro pilo quamquam extiterit, quam plurimis tamen magnitudine scientie utriusque iuris canonici et civilis, nec non candore sapiencie preminebat. Nempe in philosophie

stadio decurrens eiusque nactus bravium, in civili iure professus quatuor annis, Bononie doctor mansit eximius decretorum. Idem sincerus zelator sacrosancte ecclesie pro eius libertate strennue militavit; de cuius milicia Wratizlaviensis ecclesia, in qua est sepultus, super suis decimis reportat commoda peroptata. Cracoviensis ecclesia quanta luce coruscat ex canonizacione sanctissimi Stanizlai, per suos immensos labores in Romana curia ut supra patet liquido impetrata, merita ipsius martiris exerunt gloriosa. Ipse cultor iusticie, non arundo vento agitata, non arguciis ganniens vulpinis, non clausus adulator gesticulatorio servare favorem aut nancisci obsequio satagendo, non terrore secularium potestatum concussus, nec blandimentis seductus, semper assecla tenax normam sequencium equitatis pertinaxque zelatorum iusticie imitator, ecclesiam Dei libertatibus, privilegiis, commodis, utilitatibus per sedem apostolicam, per episcopos, per principes seculares suo suffragio, consilio salubri, exhortacione imo oportuna et importuna, favore, presidio nec non modis quibuscumque, procuravit in perpetuum gratulari. Numquam principibus contra ecclesiam aut in clerum aliquomodo persuadendo, immo pro ecclesia, clero et iusticia se multis periculis exponens, multas iniurias est perpessus. Ascendensque ex adverso se murum pro domo Dei et ecclesia Wratizlaviensi in suis decimis per Theutonicos dampnificata opposuit, in qua relaxans in Domino spiritum de carnis hergastulo, est sepultus. Qui ex testamento omnes libros suos utriusque iuris ad opus ecclesie Cracoviensis contulit et legavit. E quibus decretum et decretales capitulum eiusdem ecclesie magistro Ade, rectori scolarium eiusdem ecclesie, propter ipsius servicium dedit liberaliter, maxime propter hoc, quia idem rector ipsi magistro I. viventi multa servicia demonstravit, pro quibus nulla repensa retribucionis extitit consolatus.

Magister Gerardus olim doctor scolarum dicte ecclesie, in decanum succedit [c]......... Premizl, qui et Othacarus, rex Bohemorum cum potencia sui exercitus venit in Thorum contra Pruthenos, cupiens Martis miliciam exercere, qui propter adversitatem temporis et hyemis mansuetam temperiem, non adepto voto fraudati desiderio, expensis et laboribus inutiliter consumptis, dampnis rapinis et aliis iniuriis terre domni Bolezlai ducis Polonie graviter illatis, retro domum unde venerant sunt reversi. Unde idem dux cum ipso rege discordavit.

Anno Domini 1269. domnus cantor Cracoviensis 1268.
Troianus nomine grandevus et procerus, vir in omni- Dec. 30.
bus mansuetus, ultra quam centenarius, qui sobolis utriusque sexus ex se generate visione mutua est gavisus, qui elemosinis et oracionibus satis fuit sedulus et intentus, 3. Kal. Ianuarii est defunctus. Quanquam autem cum viveret spiritus eius, utpote viri aliquando devicti dyonee potentia voluptatis non predominatus extiterit sue carnis illecebris, tamen quia aliis virtutibus preminebat, qui non egit dolum in lingua sua nec proximo fecit malum, sanctus Stanizlaus maluit per eius manus benedictionem sui anuli et reliquiarum multis languoribus conferre patrocinium et medelam, ut ipsius martiris miracula manifestant. Huic dominus Wisson vir nobilis, pollens morum sciencie et probitatum multiplicium ornamento, primus Polonorum capellanus domni pape succedit.

Domna Salomea regina, relicta quondam Colomanni regis Hungarorum, degens multis annis sub regula sancte Clare, germana illustris principis domni
Bolezlai ducis Cracovie et Sandomirie 4. Idus No- 186
vembris obiit. Hec usque ad mortem in virginitate Nov. 10.
dicitur permansisse.

Anno Domini 1270, 12. Kal. Augusti, fuit inaudita inundacio fluviorum, precipue Wizle, Rabe et Du-

naiech. Verum quanta dampna fecerit horror est referre. Namque sua torrenti violencia in utraque parte littorum et riparum longe lateque villas agrosque miserabiliter abolevit, adeo quod humanis usibus usque ad centum annos vel amplius reddidit inutiles et inaptos. Homines, iumenta ceteraque animalia in parte maxima submergendo et quicquid sua mole precipiti contingere potuit, submersit occupans violenter. Tunc serpentes et volucres habuerunt pro refugio arbores eminentes, domus quoque si alique pre fluctus impetu poterant remanere. Nec hoc dubium, quod Omnipotens tantam plagam super faciem terre immiserit peccatis hominum exigentibus, ut graviora scelera animadversione insolita multarentur.

Domnus Stephanus rex Hungarie intrat Craco-
Aug. 28. viam 6. Kal. Septembris et mansit duobus diebus, tercio autem die ad propria revertitur.

1271. dominus Paulus episcopus cum domno duce et eius coniuge domna ducissa discordat et in quadragesima cum eisdem domnis, magistro Dersycraio preposito et Walthero canonicis Cracoviensibus viris constantibus providis et discretis meditantibus, concordavit.

Domnus Premizl prefatus rex Bohemorum cum valida multitudine sui exercitus Hungariam ingreditur circa pascha et ibi manendo infra mensem, civitates, castra et alias municiones plurimas in victrici dextera occupavit. Qualiter autem redierit ad propria, naciones extere hoc ignorant. Sed eo redeunte Comani de parte regis Hungarie Moraviam hostiliter intraverunt, et ibi cedibus, rapinis, incendiis, raptu familie crudeliter commissis, illesi in Hungariam redierunt. Eodem anno 3. Nonas Februarii domnus Hermannus dictus de Leodio, canonicus Cracoviensis ac rector ecclesie de Bitom, vir mansuetus humilis ac multiplici preditus bonitate, nullius vento superbie agitatus aut superlatus, pompatice fastu iactancie tuberoso,

piam et devotam intencionem habens erga divinum cultum in ecclesia Cracoviensi ampliandum presertim prospiciens, in eadem ecclesia altaria sanctorum Adalberti martiris et Leonardi confessoris veluti desolata et tanquam in solitudine constituta, ad que nisi in sollempnitatibus eorundem sanctorum missarum officia cantabantur, non minus sanctam Margaretham gloriosam virginem et martirem speciali veneracione prosequens, ut eiusdem altare virginis in eadem ecclesia haberetur, instituit ministros ad tria altaria in dicta ecclesia ad perpetuum, et reditus decimarum pro sustentacione eorundem ministrorum, a domno Paulo episcopo accedente ad tam pium opus gratum Deo hominibusque laudabile et acceptum, consensu Cracoviensis capituli impetravit, prout in hoc privilegio seu instrumento super eodem negocio confecto plenius continentur:

In nomine Domini. Amen. Quoniam soli divinitati convenit in ullo deficere ac omnium habere memoriam, ideo condicionis humane fragilitas artificio sibi quesivit remedium, in quo vigor fabrice naturalis summi defecit opificis voluntate. Ne igitur quod agitur im tempore cum evolucione temporis memoria evanescat, assolet scripto testium et testimonio apicum perhennari. Proinde tam presens etas noverit quam futura, quod nos Paulus Dei gracia episcopus Cracoviensis piam et devotam intencionem diligentissime attendentes, quam dominus Hermannus canonicus nostre ecclesie habet erga divinum cultum, presertim in eadem ecclesia ampliandum, eius honestis peticionibus dignum consensum prebuimus et nostri tocius capituli consensu legitimo accedente nec non et eorum precibus suffragantibus ad officiandum et divina celebrandum ad tria altaria in ecclesia Cracoviensi memorata, videlicet sanctorum Adalberti martiris, Leonardi confessoris nec non beate Margarethe, quod idem canonicus instituit suis rebus in dicte ecclesie camera, que capitulum nuncupatur,

cum hactenus ibi non esset. Quod eciam movens hoc negocium causa extitit principalis, decimas nostras in Kalina, que vocatur Troianovich, Zelenino ibidem prope sito, Chocheea et in Replin integre et absque ulla diminucione, de nostra mensa duximus conferendas et distributas per ipsum domnum Hermannum pro suo arbitrio ad altaria supradicta ministris altarium eorundem, pro voluntate ipsius canonici quamdiu vixerit instituendis, qui erunt pro tempore in perpetuum percipiendas. Ipse vero sepedictus canonicus de bonis sibi a Deo concessis quasi gracias Deo agens et nobis pro eo quod adeptus videtur quod optavit proprio suo motu sincera devocione informato episcopalem mensam quasi reddere indempnem cupiens in hac parte providit ut predia acquirerentur et compararentur ipsi mense perpetuo incorporanda. Et quia caute prospexit quod hoc ipsum utiliter et efficaciter vix aut numquam per eum poterat peragi, nobis ad hoc exsequendum centum marcas argenti liberaliter obtulit et persolvit. Ad quod negocium nos easdem marcas integre recipientes fatemur ipsi canonico, immo ecclesie nostre, nos esse obligatos et teneri optato effectui mancipandum. Disposicio autem et institucio ministrorum ad altaria supradicta post tempus dicti canonici ad capitulum memoratum semper, non ad episcopum pertinebit. Et quia hoc negocium propter ampliandum cultum Dei ad eadem altaria non minorandum est feliciter consummatum, presenti decreto de prefati nostri capituli voluntate inhibemus, ne iidem ministri, vicariis aliorum dominorum in eadem ecclesia aut alias seu beneficiis aliis occupentur, ne taliter occupati sua derelinquant altaria desolata, ad que officianda sunt maxime instituti. Ad maiorem autem evidenciam omnium premissorum presentem paginam munimine sigillorum nostri et prefati capituli dignum statuimus muniendam. Actum etc.

O generosa claredo prosapie luculenta, que gloria alti sanguinis attolleris et tanquam fecunda vitis in

propagines palmitum gestis in collecta multitudine generis cui totum te rebus corpore et anima credis et concupiscis toto conamine propagari.

Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi 1312. cives Cracovienses rabie furoris Germanici perusti, fraudis amici, pacisque palleati hostes et oculti, domno Wladyzlao duci Cracovie, Sandomirie ac domino tocius regni Polonie, quemadmodum Iudas Iesu osculum prebentes, vice iuramenti prestantes cautelam, deposito Dei timore contradixerunt et Bolezlaum ducem Opoliensem induxerunt. Qui tandem cum dicto Wladizlao Loketcone concordavit illatisque quam plurimis dampnis civibus, captivato advocato Alberto omnis iniquitatis principio, de civitate recessit et ad propria remeavit. Ecce immediate illustrissimus princeps Wladizlaus civitatem predictam subintrans denuo civium aliquos captivavit, carcerali custodie reclusit. Hos captivatos seviter per totam civitatem equis traxit, tractosque patibulo extra civitatem miserabiliter suspendit, ibidemque funera tamdiu pendere fecit, quoadusque nervi putrefacti ossium compaginem dissolverunt. Eodemque anno castrum in civitate destructa domo prefati advocati construxit et turrim in valva ducente ad Sanctum Nicholaum edificavit.

Sub anno Domini 1331. rex Wladislaus dictus Sept.27
Loketko dominus Cracovie et tocius Polonie regni per temerarios fratres et rabidos, fratres Thorunenses cruciferos, invasus temere contra Deum et iusticiam terram suam occupare volentes, naciones septem exteras contra eundem Wladislaum regem congregatas, conantes exterminare ydyoma Polonicum, inierunt congressum contra eundem animo pertinaci, valida manu brachio extento circa Brescum habuerunt feria sexta in die sancti Stanislai conflictum, a quibus ceciderunt divina potencia annuente sancti

3*

Stanislai presidio, quadraginta milia, certo numero sunt computati, et devicti a paucis hominibus videlicet a Cracovitis et Polonis nec non Sandomiritis, qui eciam per opitulamen beati Adalberti sunt adiuti et ex eorum primitiva audacia qua fulti fuerunt et functi usque ad filium suum dictum [regem Kazimirum, quia post mortem patris sui coronatus cum decore suo] (et infinitos nobiles viros de nobili stemathe captivavit.)

ANNALES CRACOVIENSES COMPILATI.

955. Anno Domini 966. dux Mesko duxit Dubrovkam
966. et baptizatur. Iste Mesko 7 annis cecus fuit. Et tunc Poloni baptizantur.

967. Boleslaus Magnus Bohemos subiugavit et Ungaros et Saxones, et in flumine Solava meta ferrea fines Polonie terminavit. Iste sanctum Adalbertum suscepit et in Gnezdna collocavit.

982. sanctus Adalbertus consecratur in episcopum Pragensem. Eodem anno Stephanus rex Ungarorum misit Affricum episcopum Romam ad papam Silvestrum pro corona petenda. Eodem tempore dux Polonorum premiserat Lambertum episcopum coronam petere, sed papa monitus angelica visione coronam, quam preparaverat Meskoni, nuncio Africo regis Ungarie dedit.

1002. sanctum Adalbertum Octo Rufus III. visitavit et Boleslaum nimio desiderio vidit. Iste Boleslaus a predicto imperatore in regem sublimatus inditam sibi liberalitatem exercuit. Iste viriliter in Kyyow venit et evaginato gladio in portam auream percussit.

1018. Boleslaus primus superavit Ruthenos.

1025. Boleslaus Magnus obiit, cui Mesko filius eius successit in regno, cui iterum Kazimirus filius eius successit.

1037. corpus beati Adalberti in Bohemiam transfertur. 1039.

1038. Kazimirus obiit. Post hunc Boleslaus senior filius eius Largus rexit et exulavit in Ungariam, interfecto beato Stanislao episcopo. Et mortuo rege Boleslao aliisque fratribus Wladislaus dux solus regnavit et Iuditam Bohemam duxit, que filium ei tercium Boleslaum genuit per preces beati Egidii. 1058.

1046. Aaron monachus Tynciensis in episcopum asumitur, per Benedictum IX. Colonie consecratur, privilegio archiepiscopatus insignitur. Item Zula presbiter, Lambertus cognomine, episcopus Cracoviensis efficitur, qui succedens Aaron archiepiscopo Cracoviensi neglexit petere insignia archiepiscopatus.

1071. Lambertus episcopus obiit, cui Stanislaus successit.

1077. Boleslaus II. coronatur. Iste occidit sanctum Stanyslaum. 1076. Dec. 25.

1079. Stanislaus episcopus Cracoviensis martirizatur.

1081. Boleslaus secundus obiit.

1111. Boleslaus tercius devicit Bohemos. Cui Wladislaus secundus natus est. 1110.

1116. Lestko natus est filius Boleslay tercius.

1117. Skarbimirus insurgit contra Boleslaum, et cecatur Scarbimir.

1118. Maurus episcopus Cracoviensis obiit, Radost successit.

1119. Boleslaus duos Pomeranos duces devicit aput Nakel. Iste tercius Boleslaus terras obtinuit.

1120. rex Boleslaus de Polonia eicitur, Largo cognominato.

1123. Boleslaus tercius mare transivit et castra optinuit.

1125. inundacio aquarum in omni terra.

1127. invencio capitis sancti Adalberti.

1131. dux Kazimirus obiit.

1132. Boleslaus intrat Hungariam et prelium cum Hungaris commisit.

Ian. 16. 1133. Bohemi in Polonia ecclesias succenderunt.

Febr. 9. 1135. Wislicia cede Plaucorum sive Comanorum destruitur.

1136. Boleslaus dat filiam suam regi Ungarie.

1138. Kazimirus filius Boleslay natus est.

Oct. 28. 1138. Boleslaus III. dictus, inclitus dux Polonorum obiit. Iste Boleslaus ecclesiam sancti Wenceslay, quam pater eius fundaverat, edificavit et 20 canonicos in ea constituit. Huius Boleslay tempore Henricus quartus ymperator intravit Poloniam, ut eam sibi subiugaret, sed Boleslao sibi resistente, revertitur sine honore.

1142. Radost episcopus obiit.

1143. Robertus Wratizlaviensis episcopus asumitur in episcopum Cracoviensem, et ipse ecclesiam beati Wencezlay in Cracovia consecravit et eodem anno obiit. Cui Matheus in episcopatum successit.

1145. Petrus cecatur et Poloni exercitum devincunt, qui Petrus filius Swentoslay claustrum Wratislavie construxit.

1146. Wladislaus fugit et Cracovia vastatur.

1147. Conradus ymperator Poloniam intrat et cum regibus Iherusalem pergit.

1148. Wladyzlaus obiit.

1149. abbacia fundatur in Andreow.

Aug. 20. 1153. sanctus Bernardus abbas Clarevalensis migravit ad Christum.

1155. Henricus dux Sandomirie ivit Ierusalem. Iste fundavit ecclesiam in Zagoscz, quam contulit Hospitali.

1159. Boleslaus filius Meskonis nascitur. Tunc temporis Wladyslaus in exilio obiit.

1161. consecracio Lanciciensis ecclesie. Dux Henricus obiit.

1163. Boleslaus filius Wladyzlay cum fratre suo Meskone a patruis reducitur in Zlesiam et terra datur eis in possessionem. Tunc temporis claustrum edyficatur in Lubes.

1165. Matheus episcopus obiit, Gothco in epi- Oct. 18
scopum consecratur.

1167. Henricus dux interfectus est cum exercitu suo in Pruzia in bello.

1168. dux Kazimirus filius Kazimiri obiit.

1169. dux Lestko obiit, Kazemirus successit.

1171. archiepiscopus Kantuarienssis martiri- Dec. 29.
zatur.

1172. imperator intrat Hungariam, Legava combustum est. Boleslaus dux obiit.

1173. Boleslaus dux Cracoviensis obiit. Oct. 31.

1177. Kazimirus filius Boleslay tercii intrat Cracoviam iure possessionis. Tunc temporis claustrum in Suleow edificatur.

1184. sanctus Florianus per Egidium episcopum Mutinensem Cracoviam aportatur, et a Gotkone episcopo Cracoviensi suscipitur, basilicaque in honore ipsius fundatur extra civitatem.

1186. Gedko episcopus Cracoviensis obiit. Dux Lestko obiit, Kazimir successit.

1186. Fulco ab Urbano papa consecratur Verone, et dedit ei primam manum archiepiscopum consecrandi.

1191. defuncto Boleslao IV. Kazimir frater eius minimus Cracoviam est adeptus.

1192. Mesko vero dux Gnezdnensis ob iniuriam sibi factam Cracoviam accedit, milites vero eum spreverunt, et recessit. Iterum habito consilio Henrici Kethlicz Cracoviam ingreditur et castrum edificat. Quod castrum Kazimir viriliter expugnavit cum Rutenis, et tunc filium Meskonis liberum dimisit. Henricus vero Kethlicz capitur et in exilium in Rusiam deputatur.

1196. Mesko dux frater senior Kazimiri petit Cracoviam, cui filii Kazimiri bello resiste runt in Moskava.	1195. Kazimir pater Lestkonis et Conradi in Cracovia obiit morte subitanea per veneficium cuiusdam mulieris.	1195. Bellum in Mozgava inter Lestkonem et Meskonem. Lestko prevaluit et Boleslaus occiditur.

Tunc temporis bellum committitur inter Meskonem et Lestkonem. Lestko prevaluit, Boleslaus autem occiditur.

1197. Petrus cardinalis apostolice sedis legatus venit Poloniam; qui instituit matrimonium in facie ecclesie contrahere et habere uxores sacerdotibus interdixit.

1201. terre motus fuit per universa loca terrarum 4. Nonas Maii.

1202. dux Lestko successit in Cracoviam.

Ian. 19. 1205. Romanus dux Ruthenorum occisus est cum exercitu suo in Zavichost.

1207. ordo fratrum Minorum cepit.

1208. Fulko episcopus Cracovie obiit, cui magister Wincencius successit, ab Innocencio papa III. consecratus, confirmatus.

Mai. 16. 1212. Mesko dux de Opol obiit.

1216. regula beati Francisci et ordo Predicatorum confirmatur. Concilium factum est tempore Wincencii.
Iul. 16. Innocencius papa obiit.

1218. Cristinus cecatur, tandem iugulatur.

1218. 1219. Wincencius episcopus Cracoviensis renunciat episcopatum. Yvo succedit.

Mart. 22. 1220. Henricus archiepiscopus obiit.

1221. facta est erumpcio ymbrium in Polonia et inundacio aquarum per trienium.

1223. fratres ordinis Predicatorum in Cracoviam venerunt. Et exinde fuit fames per bienium et mortui sunt multi. Eodem anno Grizei venerunt et locantur in Cachicz, et Ospitalarii in Prandnik.

1226. beatus Franciscus migravit ad Christum. Eodem anno Boleslaus natus est filius Lestkonis 10. Kal. Iulii. Eodem anno dux Lestko a Pomeranis sub fraude interfectus est.

1229. Ywo episcopus Cracoviensis obiit. Wisslaus succedit.

1232. beatus Anthonius migravit ad Christum. Wincencius archiepiscopus obiit.

1234. fratres Minores intraverunt Bohemiam. Nascitur Kinga filia Bolezlay.

1235. soror Agnes suscepit ordinem beati Francisci. Wladyslaus filius Meskonis obiit.

1235. Henricus dux Zlesie capitur a duce Conrado. Wladyslaus filius Odonis accipitur a patruo. 1230. Mai. 13.

1236. Kazimir dux Opoliensis obiit.

1237. fratres Minores intrant Cracoviam.

1238. dux Boleslaus accepit Kingam.

1241. Tartari primi vastaverunt Poloniam et ducem Henricum occiderunt. Dux Conradus per milites in Scarbimirz capitur.

1242. Wyslaus episcopus Cracoviensis obiit. Mart. 15. Prandota successit. Eodem anno dux Conradus devincitur et Boleslaus dux Cracoviensis efficitur, et bellum in Suchdol committitur.

1246. dux Mesko de Opol obiit. Ruteni per frequentes insultus Lublin, Seczechov et Lucow vastant.

1247. dux Conradus Mazoviensis obiit. Bolezlaus etiam filius Conradi obiit. Iohannes abbas Tynciensis obiit. Eodem anno frater Iohannes de Parma per sedem legatus missus est ad ymperatorem Tartarorum.

1255. beatus Stanyslaus canonizatur.

1256. obiit Clemens palatinus.

1257. 2. Kal. Februarii terre motus factus est in die Ciri et Iohannis, feria sexta.

1258. dux Premisl Polonie maioris obiit.

1259. Fulco archiepiscopus Gneznensis obiit,

Iohannes succedit. Dux Bolezlaus Polonorum accepit Iohelem filiam regis Hungarie.

1259. 1261. dux Bolezlaus de Polonia et dux Bolezlaus Cracoviensis vastaverunt terram Kazimiri Lanciciensis. Eodem anno Tarthari devastaverunt Cracoviam.

1262. dux Semovitus occiditur a Lithuanis.

1263. nascitur Elizabet filia Bolezlai ducis maioris Polonie.

1265. comete apparuerunt.

1266. imperatrix Bustarie domna Elizabeth intravit claustrum in Scala.

1267. Bolezlaus dux Cracovie devicit Ruthenos in loco qui est ad petram. Eodem anno Prandota
Sept. 21. episcopus Cracoviensis obiit in festo sancti Mathei feria secunda devote.

1268. Lestko accepit domnam Grifinam.

1269. incipit ordo Martirum.

1268. sancta Adviga canonizatur.

1269. obiit domna Salomena regina Galicie, soror ordinis Minorum. Eodem in anno bellum visum est in nubibus.

1270. obiit Boleslaus filius Bele regis Hungarie.

1270. 1271. obiit Bela rex Hungarie pater ducisse Cra-
Mai. 5. coviensis. Eodem anno in festo sancte Marie Magdalene maxima fuit inundacio aquarum in terra Cracovie.

1270. 1273. Stephanus rex Hungarie visitavit limina beati Stanyzlai in Cracovia.

1275. milites Cracovienses insurgentes contra ducem Bolezlaum mutuo se occiderunt.

1274. 1276. domna Grifina rediit ad ducem Lestkonem.

1277. rex Bohemie Premislius occisus est et milites Cracovienses capti sunt.

1279. Boleslaus dux maioris Polonie et Boleslaus dux Cracovie obierunt.

1281. dux Lestko Cracoviensis Thartharos et Rutenos in Gozlicz devicit.

1282. Philippus legatus Firmatus intravit Poloniam. Eodem anno fames incepit que duobus annis fuit. Eodem anno Segota capitur.

1283. Lestko in Rovne occidit multitudinem Lituanorum.

1284. Paulus episcopus Cracoviensis per ducem Lestkonem capitur.

1285. dux Lestko cum Quomanis devicit milites Cracovienses, et Cracovia combusta est, et dux Conradus fugit.

1288. Tartari vastaverunt Cracoviam.

1289. dux Letsko obiit.

1290. episcopus Paulus capitur per homines ducis Henrici et Cracovia capta est.

1291. Henricus dux Wratizlaviensis intoxicatus est veneno et obiit.

CATALOGUS EPISCOPORUM CRACOVIENSIUM.

Adiungimus Annalibus catalogum episcoporum Cracoviensium, in codicis, ut supra iam monuimus, ultimo folio exaratum. Prima manus saeculi XIII. medii seriem usque ad Prandotam contexuit, et quum successorem eius Paulum, anno 1267. inthronisatum, iam alia manus adnotaverit, elucet, primam partem ante hunc confectum esse annum.

Hec sunt nomina pontificum Cracoviensium.

Prohorius. Proculphus. Poppo. Gompo. Rachelinus. Aaron archiepiscopus quintus. Sula cognominatus Lambertus. Beatus Stanyzlaus martir. Item Lambertus. Balduinus. Maurus. Radost. Robertus.

Matheus. Gedco. Fulco. Wincencius. Ivo. Wizlaus. Prandota, sub quo dictus beatus Stanyzlaus episcopus et martir gloriosus canonizatur et cathalogo sanctorum ascribitur. Paulus. Procoppius. Iohannes dictus Muschata. Nankerus. Iohannes Grodonis. Petrus dictus Syrzicz 26. Bodzatha episcopus obiit. Florianus episcopus Cracoviensis. Zavissius episcopus Cracoviensis. Iohannes Radliza episcopus Cracoviensis 30. Petrus episcopus Cracoviensis et doctor utriusque iuris, pius pater, 31. Albertus Iastrzambecz de Lubnicza 32. Sbigneus Iohanis de Oleschnicz 33. Thomas de Strzampnio, doctor, 34. Iacobus de Szemio, de domo Dambno. Iohannes Gruszinsky de domo Rosze. Iohannes Lutkonis de Brzesze, utriusque iuris doctor de domo Dolura. Iohannes Rzeschowszky de domo Polukcze.

ANNALES POLONORUM.

Annales, quos in quatuor formis nobis servaverunt codices, arctissime cum ceteris annalibus, in praefatione generali commemoratis, cohaerent, quum Cracoviae scriptos et ex antiquo fonte haustos esse sit statuendum. Quae autem forma antiquior sit, non constat, praesertim quum codices non ante annum 1340 *scripti ad nos venerint, immo vero eorum maior pars demum saeculo decimo quinto exarata sit. Iam supra monuimus, magis accedere annales nostros ad annales Cracovienses compilatos, tamen ex iis non sunt derivati, quia, ut perspectu facile est, longiores illis sunt, permultisque de rebus tractant, quas frustra ibi quaeres. Sic, ut pauca tantum tangam, continent nomina quinque primorum episcoporum Cracoviensium, et initia*

Polonici regni usque ad a. 965. *Usque ad a.* 1325 *prima eorum pars pertinere videtur, nam continuationem rerum gestarum fusior enarratio arguit, et codex* 4, *in quo annalibus ad hunc annum productis tantum nota anni* 1378 *additur. Inter hos autem est haec affinitas, quod cod.* 2 *servat annales, qui in codd.* 3 *et* 3a *iterum cum relatione codicum* 1 *et* 1a *fere ubivis coniuncti leguntur; codex* 4 *autem quam maxime et ad I et ad III accedit. In III initio annales servati sunt, quibus et Vincentius Kadtubeck, Dzirswa et Boguphalus usi sunt, nam exscriptos eos esse ex Vincentii chronico negandum est, quum annorum numeri apud hunc non inveniantur, et auctor Boguphali chronici ipse fateatur sibi praesto fuisse annales Polonorum historiae (cf. ad a.* 913). *Dzirswa autem ille, quem dicimus, fortasse id egit, ut et annales et Vincentii chronicon in usum suum verteret, nam saepius apud eum post narrationes ex Vincentio desumptas leguntur verba:* de his quaeras in annalibus. *Quum autem nondum disquisitio critica de omnibus Poloniae chronicorum scriptoribus antiquis sit instituta, nobisque etiam defuerint auxilia necessaria, non possumus, quin proferamus magis coniecturas quam certas sententias. Id sufficit adnotare, annales nostros certe in multis partibus servasse antiquas relationes. Cracoviae in suam formam omnes esse redactos elucet.*

Ad singulos codices transeamus.

I. 1) *Codex Warsaviensis bibliothecae comitum Zamoisciorum, membranaceus saec. XIV, sine dubio anno* 1340 *vel* 1341 *scriptus, quum annales nostri ad a.* 1340 *uno tenore scripti sint et in pluribus codicis locis vacuis relictis notae historicae offendantur, quae variis manibus exaratae ab anno* 1341 *inde usque ad a.* 1476 *res gestas enarrant. Annales nostri inveniuntur in fol.* 74 *usque in fol.* 89'. *Dlugossus manu sua adiecit multas notas marginales, quas omnes ab huius operis fine alienas, dare omisimus. Descripserunt iam codicem,*

aeque ac sequentem 1a, *editores Chronicarum Polononorum, supra SS. T. IX. p.* 421 *et* 422, *quorum verba hic repetere in animo non est. Arndtius Warsaviae annales contulit.*

1a) *Ex uno eodemque fonte ac codex* 1 *fluxit codex Pulaviensis principum Czartorysciorum, ex quo descriptos annales nobis misit cl. v. Augustus Bielowski, Leopoliensis.*

Notandum annales vindicatos fuisse a viris doctis Polonicis Thratkae vel Thraskae cuidam, quum in fine utriusque codicis, enarrato bello regis Kazimiri contra Ruthenos haec verba legantur: Thratka (1a. Thraska) eciam fuit ibidem; *sed quomodo haec prodant annalium auctorem, nescimus.*

II. 2) *codex archivi regii Regiomontani* B. 28, *ubi annales tria explent folia ultima. Continet codex inter alia etiam translationem Wigandi de Marburg, iussu Iohannis Dlugossi a clerico quodam post annum* 1464 *institutam, hoc enim anno Dlugossus Thoruniae, ubi codex scriptus est, una cum ceteris legatis de pace inter ordinem Theutonicorum fratrum et Polonorum regem tractantes, versatus est (cf. SS. rer. Pruss. I,* 665. *II,* 439.), *et ut ex suo more semper historiae fontes investigabat, incidit etiam in Wigandi chronicon, idque ad usum suum aptum fieri curavit. Sed scriba sive translator hoc non contentus, diligentia sua effecit, ut plura in unum colligeret opera historica iisque demum adiungeret annales praedictos. Certe hos anno* 1466 *vel paulo post descripsit, quum ad relationem a.* 1312 *(immo* 1269) *de inundatione Wislae fluvii tractantem verba adderet:* Similiter anno 1466 ante Thorun valde. *Annorum numeri initio bene concordantes, post a.* 1162 *tantum abscedunt a iustis, ut, si non felici sorte nobis contigisset codices Petropolitanos in certamen vocare; nullum fere fructum ex codice illo cepissemus. Codice Berolinum misso uti licuit.*

III. Huius classis duo adhuc servantur codices in

celeberrima bibliotheca imperiali Petropolitana, ubi Arndtius eos mense Octobri exscripsit. Sunt autem hi:

3) *Codex chartaceus saec. XV, forma octava, signatus* λ. Q. OTΔ. IV. N. 98. *Continet a p.* 1 *usque ad p.* 96 *Chronicon Dzirswae, solusque est qui nomen huius chronographi praebeat. A p.* 96' *usque ad p.* 126 *Annales leguntur, quos sequuntur p.* 127 *et* 128 *Notae Lublinenses. Scriptura nitida claraque scriptus est, margines in superiori parte temporis iniuria detrimentum passi sunt, ita ut verba quaedam deleta sint, quae tamen partim coniectura partim aliarum classium codicum ope supplere possumus.*

3a) *Codex eiusdem bibliothecae signatus* λ. F. OTΔ. IV. N. 19, *chartaceus saec. XV, in fol., similiter Dzirswae chronicon, Annales, Vincentium et Boguphalum eiusque continuatorem archidiaconum Gneznensem exhibet. Annales variis manibus exarati sunt, prima manus scripsit usque ad a.* 1061, *secunda usque ad a.* 1106, *tertia ad a.* 1203. *Relatio de Vincentio Kadłubkone anno* 1208 *addita quarta manu exarata est. Leguntur autem hi annales foll.* 27. 28. 29.

IV. 4) *Iam anno* 1749 *vir beatae memoriae Lengnich Gedanensis sub titulo:* Vincentius Kadlubko et Martinus Gallus scriptores historiae Polonae vetustissimi cum duobus anonymis ex ms. bibliothecae episcopalis Heilsbergensis editi, Gedani 1749. *plures quam maximi pretii fontes ad historiam Polonicam spectantes edidit. Codex qui anno* 1824 *viro clarissimo Bandtkie pro nova Martini Galli editione instituenda ad manum fuerat, evanuit, nec nostris nec aliorum virorum doctorum communibus laboribus detegi poterat. Iuvat igitur descriptionem illius a Bandtkie datam iterum proponere. Sic enim in laudatae editionis p. XI legitur: „Codex Heilsbergensis in papyro satis nitide scriptus multis vacuis spatiis inter omnia fere capita relictis, et tam ad-pingendas haud dubie litteras eorum initiales, quam ad glossas vel adnotationes adiiciendas*

paratis, totus complectitur 279 *paginas, ex utroque latere manu recentiori numeris Arabicis appositis signatas, quae sistunt contextum. Litteras initiales ubique locorum praeposuit recentior manus capitibus. Prima solum littera initialis* O, *nempe in voce* Ortum *operis Dzirswae praecedentis Martini Galli chronicon, adspicitur aurata, quadrato caeruleo, totam columnam implenti inarata. Primae quoque paginae pars imo in margine praefert annum, auratis litteris minoribus exhibitum, quo codex hicce scriptus esse videtur:* Liber magnifici domni Petri de Schamotuli castellani et capitanei Poznaniensis 1471. — *Praemittuntur codici dissertatiuncula Thad. Czackii, idiomate Polonico de eius contextu composita et ab eo propria manu anno* 1798 *subscripta, atque iterum brevior descriptio eorum, quae in codice hoc continentur, facta, ni fallor, a Ioanne Dan. Ianocio, cuius redolet stylum, forsan iussu vel Ios. Andr. Zaluscii, vel Stanislai Augusti regis, quo curante codex quoque recenti ligatura compactus est, ut indicant arma regni et regis in priori parte, ac sequens inscriptio in extrema ligaturae parte auratis litteris impressa*: STANISLAUS AUGUSTUS | REX POLONIARUM | SAECULORUM POSTERITATI | VINDICAT |." — *Legebatur autem in codice primo loco Dzirswae chronicon, quod excipiebant Annales praemissis quibusdam de Vincentio Kadłubek verbis. Scriba ad annales transiens scripsit haec:* Nunc quoque veniam ad annales historias carptim succincteque atque breviter conscribendas in quibus ita exordior: Anno Domini 899 Arnolphus etc. *Textus Annalium a Lengnichio fidelissime datus est, ita ut paucis tantum in locis ope aliorum codicum fuerit corrigendus. Annales excipiunt Chronicae Polonorum et Anonymus, de quo apud Lengnichium ultimo loco posito adnotamus, eum in usum suum Annalium I et III continuationes vertisse, nec opus erat ad eum refugere, quum codices* 1. 1a *et* 3 *sufficere viderentur ad textum constituendum.*

Ex codicibus 3 et 3a primam Annalium partem usque ad a. 1023 iam ediderat v. d. Augustus Bielowski in appendice libri sui „Wstęp krytyczny do dziejów Polski, we Lwowie 1850", iisque adiunxit ex codice 2 partes respondentes. — Nos primi dedimus in Monumentis integros annales, mendis purgatos, chronologia ubivis in margine adnotata, sed hoc loco tantum antiquissimam formam (Annales Polonorum I.) simulcum continuationibus repetere liceat.

Incipiunt annales a primo christiano duce Meschone Polonorum et uxore sua famosa nomine Dobrawca christiana.

Anno Domini 965. excellentissimus dux Mescho accepit Dobrovcam sibi in uxorem, christianam videlicet de Bohemia, qui ambo christiani fidelissimi in Polonia efficiuntur et omnes Poloni baptizantur, ecclesie et claustra, episcopatus, preposituге alique per ipsos, que tunc fieri poterant construuntur et dotantur. Qui vero Mescho 7 annis a nativitate cecus fuit, ut in cronicis premissis habetur.

967. Bolezlavus Magnus, qui Chrabri dicitur, natus est. Iste Bohemos et Ungaros subiugavit et Saxones edomuit, et in flumine Solave meta ferrea fines Polonie terminavit. Iste sanctum Adalbertum honorifice suscepit et in Gnezdnam collocavit.

970. Prohortus primus episcopus Cracovie ordinatur.

974. ecclesia Pragensis primo cepit habere episcopum Dethmarum nomine, ex ammonicione Dobravce.

982. sanctus Adalbertus consecratur in episcopum 983.
Pragensem. Postea revelante Deo Pannoniam re- Iun. 29.
diens, veniens primum regem Ungarorum sanctum Stephanum cum multis aliis baptisavit. Demum per Poloniam transiens et eosdem in fide confirmans,

in Prussiam veniens ibidem predicando fidem, martirio coronatur.

986. Proculfus in episcopum Cracovie assumitur, secundus.

995. Lampertus episcopus Cracovie efficitur tercius.

997. passio sancti Adalberti episcopi.

1001. Stephanus rex Ungarie misit Affricum episcopum Romam ad papam Silvestrum pro corona petenda. Eodem tempore dux Polonorum Mescho miserat Lampertum episcopum coronam petere. Sed papa angelica monitus visione, coronam quam preparaverat Meschoni, Affrico nuncio regis Ungarie dedit. Sed cur fuerit non data Polonis in cronica plenius habetur.

1000. Cf. Ann. comp. Crac. 1002. sanctum Adalbertum imperator Otto Rufus III. visitavit et Boleslavum nimio desiderio vidit. Iste Boleslaus ab imperatore predicto in regem sublimatus, inditam sibi liberalitatem exercuit. Iste viriliter venit in Gigow, evaginato gladio in portam auream percussit.

1003. 1005. heremite sex in Polonia martirizantur.

1014. Poppo in episcopum Cracovie ordinatur, quartus.

1018. Bolezlavus primus superavit Ruthenos et subiugavit.

1023. Gomppo in episcopum Cracovie eligitur, quintus.

1025. Bolezlaus Magnus obiit, secundus Mescho succedit in regnum, qui in amentem cecidit et mortuus est. Cui Kazimirus filius eius successit. Iste habuit quatour filios Bolezlavum, Wladyslavum, Meschonem et Oddonem.

1027. Ypolitus archiepiscopus primus obiit, Bossutha successit secundus.

1032. Rachelinus in episcopum Cracovie est constitutus, sextus.

1037. . . . .

1038. Kazimirus obiit, qui fuit monachus. Post 1058.
hunc Bolezlavus filius senior, Largus, rexit, et post hec Ungariam exulavit, interfecto sancto Stanislao.

1038. mortuo rege Bolezlao aliisque fratribus, 1081.
Wladislavus dux solus regnavit, qui Iuditham Bohemam accepit in uxorem, que filium ei tercium 1084.
genuit Bolezlaum per preces beati Egidii. Apr. 11.

1046. Aaron monachus Tinciensis in episcopum postulatur, et assumptus per Benedictum papam nonum, Colonie consecratur, privilegio archiepiscopatus insignitur, Cracoviensis tercius.

1059. Aaron archiepiscopus Cracovie obiit.

1061. Sula presbiter, Lampertus cognomine, episcopus Cracovie efficitur septimus. Iste Sula succedens Aaron archiepiscopo, qui neglexit petere insignia archiepiscopatus.

1064. Gneznensis ecclesia consecratur.

1071. Lampertus episcopus Cracoviensis obiit.

1072. Stanislaus successit octavus.

1079. sanctus Stanislaus tercio Idus Aprilis marti- Apr. 11.
rizatur, episcopus Cracovie.

1081. rex Boleslavus obiit, qui in amplissimum profecisse traditur regnum, a Danubio flumine regni Ungarie usque ad Solavam fluvium Saxonie, a Kyoviensi civitate, que est metropolis Russie, usque ad montes Karinthie, ut in cronica declaratur superius.

1082. Lampertus in episcopum Cracoviensem consecratur, nonus.

1102. Lampertus episcopus Cracovie obiit, Bal- 1101.
duinus succedit decimus. Nov. 25.

1104. Wladislaus secundus natus est.

1109. Balduinus episcopus Cracoviensis obiit. Sept. 7.

1110. Maurus successit undecimus.

1111. Bolezlavus devicit Bohemos potenter. 1110.

1113. Bolezlaus tercius Nakel et alia castra ob- Oct.
tinuit.

1115. Lestk natus est filius Boleslay.

1117. Scarbimir contra Bolezlaum insurgit et cecatur.

Mart. 5. 1118. Maurus episcopus Cracoviensis obiit. Radost successit duodecimus. Eodem anno inun-
Sept. dacio aquarum in omni terra.

1119. Bolezlaus duos duces Pomoranos devicit.

1123. Bolezlavus tercius mare transivit et castra obtinuit.

1127. invencio capitis sancti Adalberti.

1131. Kazimir dux obiit.

1132. Bolezlaus intrat Ungariam et prelium cum Ungaris commisit.

Ian. 16. 1133. Bohemi in Polonia ecclesias succenderunt.

Febr. 9. 1135. Wyslicia cede Plaucorum destruitur.

1136. Bolezlaus dat filiam regis filio Ungarorum.

1138. Kazimir filius Boleslay natus est.

1138. 1139. Bolezlavus tercius, dux inclitus Polonorum,
Oct. 28. obiit. Iste Bolezlavus ecclesiam sancti Wenceslay in Cracovia, quam pater eius Wladyslaus fundaverat, edificavit et viginti canonicos in ea constituit. Huius tempore imperator Henricus IV. intravit Poloniam ut subiugaret eam sibi, set resistente Bolezlavo revertitur sine honore.

1140. claustrum Andreow edificatur.

1142. Radost episcopus Cracovie obiit, Robertus episcopus Wratislavie translatus in episcopum Cracoviensem et prope ecclesiam sancti Wenceslay consecratur decimus tercius.

1143. 1145. Wladislaus dux de Poznan confusus fugit.

1147. Conradus imperator Poloniam intrat, et cum regibus Ierusalem pergit.

1148. Wladizlavus obiit.

1149. abbacia in Andreow fundatur.

1154. Henricus dux Sandomiriensis ivit Ierusalem. Iste fundavit ecclesiam in Sagosce, quam contulit hospitali Cracoviensi.

1159. Bolezlaus filius Meschonis nascitur. Eodem anno Wladyslaus in exilio obiit.

1161. consecracio ecclesie Lanciciensis.

1163. Bolezlavus filius Wladislay a patruis reducitur in Zlesiam cum fratre suo Meschone et eadem terra datur eis in possessionem. Claustrum de Lubes edificatur.

1165. Matheus episcopus Cracovie obiit.

1166. Gedco in episcopum Cracovie consecratur decimus quintus.

1167. Henricus dux cum exercitu suo interfectus est in bello in Prusia. Kazimir obiit.

1170. Thomas archiepiscopus Cantuariensis martirizatur.

1173. Boleslavus dux Cracovie obiit sine prole.

1177. dux Kazimirus filius Bolezlavi tercii intrat Cracoviam iure successionis obtinendam. Ipso anno claustrum Suleow edificatur.

1181. dux Kazimir devicit Ruthenos.

1183. Bolezlavus filius Kazimiri obiit, qui cum arborem incidisset, corruente stipite percussum sustulit.

1184. sanctus Florianus per Egidium episcopum 1183.
Mutinensem in Cracow aportatur, et per Gedconem episcopum tunc suscipitur, et basilicam in honorem eius fundavit extra civitatem.

1185. claustrum de Copriwnicia fundatur. Gedco episcopus Cracoviensis obiit.

1186. dux Lestco obiit.

1187. Fulco ab Urbano papa consecratur decimus sextus.

1189. Iohannes cardinalis intrat Poloniam.

1191. defuncto Bolezlao Kazimirus frater eius minimus Cracow fuit adeptus. Mescho dux Gnezdensis propter iniuriam sibi factam ad Cracoviam accedit et noluerunt eum milites et recessit. Iniuria repulsa consilio Henrici Ketlicz cum exercitu Cracow

ingreditur et castrum edificat, quod castrum Kazimir viriliter expugnavit cum Ruthenis, et tunc filium Meschonis liberum dimisit, et Henricus Ketlicz capitur et in Rusiam in exilium mittitur.

1195. bellum in Moskava inter Meschonem et Lestconem. Lestco prevaluit et Bolezlaus occiditur.
1194. Dux Kazimirus pater Lestconis et Cunradi in Cra-
Mai. 4. covia obiit subitanea morte, illata per veneficia cuiusdam mulieris.

1195. 1196. Mescho dux frater senior Kazimiri premortui petit Cracoviam, cui filii Kazimiri resisterunt bello in Moskava.

1201. terre motus fuit per loca ubique terrarum
Mai. 4. quarto Nonas Maii.

1202. dux Lestco successit in Cracoviam, qui accepit uxorem de Rusia nomine Grinislavam, de qua genuit sanctam Salomeam ordinis sancte Clare et filium nomine Bolezlaum.

1205. Romanus Ruthenorum princeps cum exercitu suo occiditur in Zavichost in festo Gervasii et
Iun. 19. Prothasii martirum.

Sept. 4. 1207. ordo beati Francisci incepit. Fulco episcopus Cracoviensis obiit, 15.

1208. Vincentius successit 16. ab Innocencio III. confirmatus.

Nov. 11. 1215. Rome factum est concilium tempore Innocencii III.

1216. regula Francisci confirmatur et ordo Dominici confirmatur.

1218. Vincencius episcopus Cracovie cessit Yvoni de episcopatu.

Mart. 22. 1219. Henricus archiepiscopus obiit.

1221. facta est erupcio ymbrium et aquarum inundacio per triennium in Polonia et ex hoc fuit fames per byennium, mortui sunt multi. Obiit sanctus Dominicus.

1222. ordo Griseorum locatur in Kacycz et Predicatorum in Cracovia.

1223. sanctus Dominicus obiit.

1226. beatus Franciscus migravit ad Dominum. Oct. 4.
Eodem anno dux Bolezlaus natus est, filius Lest- Iun. 22.
conis, 11. Kal. Iulii.

1228. dux Lestco interfectus est a Pomoranis 1227.
sub fraude, et dux Henricus Zlezie a duce Conrado Nov.
Mazovie captivatur. Gregorius papa IX. sanctam Elizabeth et sanctum Franciscum et sanctum Dominicum canonizavit.

1229. Yvo episcopus Cracovie obiit. Iul. 21.

1231. Wyslaus consecratur in episcopum Cracoviensem.

1232. Vincencius archiepiscopus obiit. Eodem anno beatus Anthonius migravit ad Dominum.

1234. nascitur Kinga filia regis Ungarie Bele et de matre nomine Maria, in dominica quinquagesima, quam duxit Bolezlaus filius Lestconis, dux Cracoviensis et Sandomiriensis, in uxorem. Eodem anno
fratres Minores intraverunt Bohemiam. 1232.

1235. Wladyslaus filius Meschonis obiit. 1231.

1239. dux Bolezlaus accepit uxorem filiam regis Ungarie, nomine Kingam, bonam mulierem et sanctam, que infra annos in quibus secundum naturam loqui non poterat, primam vocem protulit: *Ave regina celorum.* Quo dicto loqui desiit usque ad tempus secundum naturam prefinitum et tunc cepit formare verba.

1241. Thartari devastaverunt Poloniam et ducem Henricum occiderunt. Eo tempore in Ungaria lupi, vulpes, aquile occiderunt homines.

1242. Wyslaus episcopus Cracovie obiit, Pran- Mar. 15.
dotha successit. Eodem anno Cunradus milites in Scarbimir captivavit.

1243. prelium inter ducem Conradum et Bo- Mai. 25.
lezlaum in Suchdol committitur et devincitur Conradus a Cracoviensibus.

1244. Prutheni per frequentes insultus Lucow et Lublin et Secechow devastant.

1246. Litwani venientes in Iarosin commiserunt bellum cum Bolezlao et devicto duce milites multos occiderunt.

1247. frater Iohannes sedis apostolice legatus ordinis fratrum Minorum, cum aliis fratribus ad regem Thartarorum pervenit.

1243. 1249. obiit sancta Hedvigis.
Oct. 15. Mai. 19. 1250. dux Bolezlaus a fratre capitur, qui habuit
Iolentam filiam Bele regis Ungarorum.
Dec. 19. 1252. obiit Michael episcopus Cuyavie.
1253. Sept. 17. 1254. beatus Stanislaus canonizatur indiccione 12.
1256. Bolezlaus Iolentam duxit in uxorem.
1257. in Moravia circa Bucinam diluvium emersit, multos homines submersit in nocte in die sancte
Iul. 3. Margarethe virginis. Premizlius maioris Polonie
Iun. 4. obiit.

1258. ducissa Grimislava Cracovie obiit. Factus est terre motus hora prima. Ordo martirum incepit.

1259. dux Bolezlaus Cracovie et Sandomirie devastavit terram Lancicie. Eodem anno Thartari devastaverunt terram Cracovie et Sandomirie, et iste fuit secundus adventus, in quo occiderunt et abduxerunt infinita hominum et castrum Sandomiriense ceperunt.

1261. dux Zemovitus Mazoviensis a Pruthenis capitur et occiditur.

Iun. 23. 1262. dux Semovitus Mazoviensis a Litwanis
1261. occiditur et comburitur in Iascow, et filius eius
Dec. 25. Cunradus captivatur. Primizlius coronatur.
Aug. 5. 1263. sol patitur eclipsim in die sancti Dominici.
Iun. 14. 1264. Cracovienses vicerunt Iacuizitas 18. Kal.
Iulii.
Iun. 24. 1265. obiit Anna ducissa Zlesie, uxor Henrici
occisi a Thartaris. Dux Lestco duxit Griphinam uxorem suam. Poloni spoliaverunt Ruthenos et multos occiderunt in metis Polonie, et dux Romanus occiditur a Lestcone in Zavichost et alios usque

Wlodimir Poloni insecuntur, alii vero infiniti occiduntur.

1266. Svatopelcus dux gloriosus Pomeranie Ian. 11.
obiit. Rex Daniel Rusie moritur. Eodem anno Prandotha episcopus Cracovie obiit, cui successit Paulus Sept. 20.
filius Iasconis. Henricus[39] obiit dux Wratislavie. Dec. 5.

1267. dominus Guido cardinalis intrat Poloniam et fecit synodum Wratislavie. Eodem anno sol ecli- Febr. 9.
psim passus est in vigilia ascensionis Domini. Sancta Mai. 25.
Hedvigis canonizatur. Dux Leo filius Danielis regis Mar. 26.
Rusie occidit Woyslaum filium Mendogi ducis Lithwanorum.

1268. soror Salomea ordinis sancte Clare migravit ad Dominum. In qua mirabile quid accidit, quia 7 diebus iacuit in choro sororum inhumata, in lapide sancte Marie, et nullum horrorem, nullum fetorem sororibus prestabat, sed solacium et suavitatem. Post sepulturam autem iacuit in terra a 4. Idus Novembris usque ad 11. Kal. Iunii, et tamen nullus fetor exibat, quando ducebatur in Cracoviam ad sepulturam, licet archa in qua fuit condita fuisset aperta. Thomas episcopus Wratislavie obiit. Eodem Mai. 30.
anno in Cracoviensi dyocesi propter infidelitatem cuiusdam mulieris corpus Christi fuit versum in carnem visibilem, quod cum magna violencia sumpsit mulier, timens prodicionem et pupplicacionem sui criminis.

1269. dux Bela, filius regis Ungarie nomine Bele, obiit et sepultus in Stirgonii.

1270. in Kalis infra octavam nativitatis Christi natus est vitulus habens duo capita et septem pedes; erant autem capita illa canina et dentes canini; erat autem unum caput in loco debito, et hoc erat maius, aliud erat minus, situm ad caudam, ipse autem vitulus erat habens pellem vitulinam et pedes vitulinas, cuius cadaver nec canes nec porci volebant comedere. Eodem anno 13. Kal. Februarii Ian. 20.

die Lune in nocte circa primam horam noctis apertum ést celum in modum crucis super ecclesiam fratrum Minorum in Cracovia, et de illa apertura celi exivit lux in modum lune et sparsit radios suos per totam provinciam Cracoviensem, in tantum quod in ecclesia Predicatorum pre fulgore lucis poterat acus inveniri. Eodem anno similis lux apparuit in Stanatek. Eodem anno obiit rex Ungarorum
Mai. 5. Bela. Ipso anno fluvius qui dicitur Niza fluxit sanguine tribus diebus, id est a feria sexta usque ad diem dominicum. Circa idem tempus fluvius Odra fluxit tribus diebus ita quod color eius aque fuit viridissimus, postea aliis tribus diebus tota aqua sanguinea. Iterum circa festum beate Marie Magda-
Iul. 21. lene tribus diebus fuit maxima inundacio aquarum in Cracovia per Wyslam, qualis nunquam visa fuit, quia occupavit villas, segethes, prata et totum campum et spacium a monte sancti Stanislay usque ad montem sancti Benedicti, et multos homines submersit et domos et molendina, et duravit hoc malum per 15 dies, et hoc diluvium per diversas provincias mundi, et fecit Raba et Dunaiecz. Obiit regina Ungarorum domina Maria, mater domine Kinge. Eodem anno in terra Zlesie circa Michalow pluit de celo sanguis; erat autem tempus esti-
Aug. 27. vum et maximus fervor illo die. Eodem anno venit Stephanus rex Ungarie visitare sepulchrum sancti Stanislay, et dum vidit ducem Bolezlaum, qui habebat dominam Kingam sororem germanam, feceruntque pacem et concordiam inter se. Item
Dec. 6. quedam domina de Nakel peperit in uno partu 36 pueros parvulos ita quod simul unum post alium effudit 15, alios post modicam horam effudit, qui omnes pueri sunt mortui immediate.

1271. tres soles apparuerunt post ortum solis
Ian. 19. die Lune 14. Kal. Februarii. Dux Samborius a Bolezlao capitur, qui acquisvit Gdancz. Ianussius

archiepiscopus obiit. Eodem anno Griphina uxor ducis Lestconis Syradiensis deposuit de se peplum publice, eo quod dixit se esse virginem incorruptam, nec ab eo poterat cognosci propter inpotenciam ipsius ut dicebatur.

1272. dux maioris Polonie Bolezlaus obiit. 1279. Apr. 7.

1273. dux Boleslaus Cracoviensis convenit cum Primizlio rege Bohemie in Opavia, et firmant amiciciam perpetuam. Eodem anno Lithwani miserabiliter devastaverunt terram Lublinensem. Ipso anno quidam milites Cracovienses processerant ad ducem Opoliensem Wladizlaum cum tota potencia sua de consilio episcopi Pauli Cracovie. Sed Bolezlaus misso exercitu comprehendit eos in campo circa Boguczin, et commisso prelio forti ceciderunt multi ex utraque parte quam plures. Item venit vox ad Paulum episcopum Cracoviensem dicens: *Ve tibi, episcope Paule, melius tibi fuisset, si natus non fuisses.* Hanc vocem audierunt bene 70 viri. Inponebatur enim eidem, quod ipso procurante fuisset facta strages supradicta in Lublin. Tandem post aliquantulum tempus venit vox dicens ei: *Non timeas, Paule, fac quicquid volueris, quia ego tecum sum.* Hanc vocem audierunt multi fratres Predicatorum, in quorum domo eo tempore morabatur ante Cracoviam. Post aliquantulum vero tempus eodem anno, predicto episcopo solo existente in cubiculo suo, venit vox de aere dicens: *Non timeas, Paule, fac quod vis, quia septimo anno morieris.* Nec distinxit utrum septimo anno episcopatus sui vel septimo anno ab eo tempore, quo hec vox ad ipsum facta est. Ad quam vocem respondit episcopus: *Bene,* inquit, *quia usque ad septimum annum potero vitam meam emendare.* Et hanc vocem audierunt plures qui stabant ante cubiculum ipsius. Anno ipso Bolezlaus dux Cracovie et Sandomirie, Bolezlaus dux Polonie, Conradus dux Mazovie, Lestco dux Syradie, intrantes terram

Wladyslay ducis Opoliensis, devastaverunt eam totaliter spoliantes et incendio subicientes usque in Opol et in Cosle et usque in Odram, et multos homines amiserunt ibidem.

1274. factum est concilium generale sub papa Gregorio X, in quo fuerunt ongregati episcopi 1200. In hoc concilio Greci sunt reversi ad obedienciam ecclesie Romane, nam et patriarcha Constantinopolitanus celebravit missam in Greco coram papa
Iun. 29. ibidem in die apostolorum Petri et Pauli. Rex eciam Thartarorum ibidem venit et obedienciam Romane ecclesie promisit et fidem confessus est, a quo et coronam suscepit. In territorio Cracoviensi natus est puer cum dentibus, qui statim ut natus est cepit loqui; sed cum esset baptizatus, mox et dentes amisit et loquelam. Vixit autem tribus annis et mortuus est. Eodem anno dux Lestco accepit iterum Griphinam uxorem suam, qua fuerat privatus.

1275. quidam puer vix habens duos annos natu, adstans dixit fratri Minorum ter dicens: *Domine!* Qui ait: *Quid vis?* At ille: *Tartari*, inquit, *venient et precident capita vestra.* Cui frater: *Quis tibi dixit?* Cui puer: *Deus*, inquit. At ille: *Timesne eos?* Cui puer: *Timeo, quia precident capita vestra.* Quod factum fuit ita.

1276. res horribilis et miranda. Homo quidam crudelis super pauperes et suis dominis infidelis cum gravi infirmitate venisset ad portam mortis, fratres qui vocati fuerant, ceperunt ipsum inducere ad confessionem. Quibus respondit: *Tempus quidem erat confitendi, set iam est denegata mihi potestas confitendi, nam et traditus sum potestati demonum.* Fratribus autem ipsum ad penitenciam inducentibus magis, ne de Domini desperaret misericordia, ait: *Confiteri*, inquit, *non possum iam, set cito videbitis quod traditus sum in manus demonum.* Et statim audierunt ictus durissimos quibus ipsum affligebant, neminem

autem videbant, set tantum sonum verberum et strepitum audiebant, vulnera in corpore et plagas aspiciebant. Ipse miser afflictus nullam vocem dabat nec gemitum, set tantum vultum contrahebat et rugabat, et sic miser infra verbera demonum exspiravit. In octava sancti Michaelis cecidit in Cracovia in Oct. 6. magna copia nix. Ioheleth uxor Bolezlay genuit filiam nomine Annam.

1277. in circumcisione Domini in media nocte Ian. 1. apertum est celum et lux maxima resplenduit ad modicam horam ita quod tota civitas et dyocesis Cracoviensis fuit delectabiliter illustrata. Eodem anno milites Theutonici vocati sunt in Zleziensem dyocesim. Dux Bolezlaus Zlesie de Legnicia cepit Henricum filium fratris sui, ducem Wratislaviensem, requirens ab eo fratris sui iunioris defuncti ducis Wlotconis qui fuit archiepiscopus. Ipso circulo circa festum sancti Luce ewangeliste Litwani Oct. 18. Lanciciam crudelissime devastaverunt abducentes secum in captivitatem preter eos qui occisi sunt quadraginta milia hominum utriusque sexus. Post ruinam regis Bohemorum filia ipsius domina Kinga, virgo Deo devota et beate virgini Marie, in die sancti 1276. Dec. 26. Stephani protomartiris vidit in visione quandam virginem pulcherrimam indutam pallio mirabili, que habebat litteras insertas per totum pallium de septem gaudiis beate virginis Marie, excepta una plica pallii in qua non erant littere. Quod videns puella cepit mirari. Ad quam beata virgo: *Cur, inquit, filia, miraris?* Ad quam puella: *Admiror tuam pulcritudinem et cur pallium tuum non est per totum ornatum.* Ad quam domina: *Ego sum, inquit, mater Domini, tu autem hoc pallium meum decorasti. Sed quia hesterna die non recitasti septem gaudia mea, que solebas semper recitare, ideo pallium istud non est per omnia ornatum. Verumptamen, filia, noli conturbari, quia desiderium tuum adimplebitur, nec de*

patre sollicita sis, quia ad maiorem gloriam perducetur quam umquam fuit perductus. Eodem anno
1277. in nativitate beate Marie virginis intravit ordinem
Sept. 8. sancte Clare in Praga cum maxima sollempnitate.

1278. in Cracoviensi dyocesi erat quidam lacus, in quo homines nullo modo poterant piscari propter inpedimenta dyaboli. Cum ergo eo anno esset hyems magis aspera solito, quidam milites et religiosi et multi simplices illius provincie congregati fuerunt ad capturam piscium illius laci cum crucibus et vexillis. Et primo quidem traxerunt, licet cum difficultate, sagenam habentem tres parvos pisciculos. Secundo traxerunt sagenam mastigatam et nullum piscem habentem. Tercio vero traxerunt sagenam cum maxima difficultate continentem quoddam monstrum quod habebat caput caprinum et oculos rubicundissimos; quo viso homines fugierunt relictis crucibus, ex quo omnes fere fuerunt morbidi facti, ipsum vero monstrum cum extraxisset caput suum, subtus glaciem cepit discurrere per aquam sonitum et strepitum faciendo. Frater Martinus ordinis
Iun. 22. Predicatorum factus est archiepiscopus Gneznensis a domino papa Nicolao III. nacione Romano, qui prius quam venit Gneznam mortuus est eodem anno. Rex
Aug. 26. Bohemorum Primislius per tradicionem Theutonicorum superatus est ab imperatore Rudolpho in finibus Ungarorum iuxta flumen qui dicitur Morava. Eodem tempore dux Bolezlaus Polonie habens adiutorio Mstiwoynem ducem Pomoranie, intravit fines Theutonicorum octo diebus spolians terram ipsorum, et ad ultimum gloriose triumphavit de exercitu ipsorum. Eodem anno surrexit quidam religiosus nomine Nicolaus nacione Theutonicus, ordinis fratrum Predicatorum, qui docuit homines comedere serpentes, lacertas et ranas contra quamlibet infirmitatem a qua detinebantur, sive fuit dolor oculorum vel aliud. Urinam autem hominis infirmi nunquam

inspiciebat, sed habebat quasdam bursiculas clausas. Quid autem in eis clausum fuisset, aspicere prohibebat. Suspendebat autem illas bursiculas singulas super singulos infirmos per noctem, et qui sudabant ex huius suspensione et quedam videbant sompnia curabantur, et qui non, non. Capiebantur autem serpentes nuda manu ab hominibus in nomine predicti Nicolay, non in nomine Christi. Nam si quis in nomine Christi vellet capere serpentem, eciam si habuit manum tectam cum cyroteca, statim momordit eum serpens. Ab hoc autem informati quidam fratres de ordine Predicatorum comedebant serpentes. Dominus eciam Lestco dux Syradie cum uxore sua Griphina per mandatum eiusdem Predicatoris eodem anno cepit comedere serpentes, lacertas et ranas, propter quod fuit abhominabilis omni populo, licet fuerint eis valde medicinales.

1279. dominus Wlostiborius electus est in ar- 1278.
chiepiscopum Gneznensem, sed cassata est eius Dec. 23
eleccio. Eo anno Philippus episcopus sedis apostolice et legatus, venit in Ungariam et Poloniam, qui fecit multas constituciones duras et duos episco- 1279.
pos in Ungaria incarceravit perpetuo. Eodem anno Sept. 14.
obiit Bolezlaus Polonie, qui habebat uxorem Ioheleth, filiam Bele regis Ungarorum. Iste Bolezlaus fuit maximus triumphator de Theutonicis et virilis homo, quia nullum regem quemcumque timebat, mortuus 7. Idus Aprilis. Iam dicto anno pugnantibus Apr. 7.
cruciferis de domo Theutonica contra Lithwanos, capti sunt duo fratres cruciferorum a Lithwanis, quorum unus cum fuisset suspensus super altissimam arborem, equus quoque eius sub eo suspensus est, ut supposito igne utrumque vorax flamma consumeret. Sed mirum in modum equo igne consumpto apertum est celum super cruciferum et lux magna descendit super eum, et ignem suppositum sparsit in partes diversas. Cumque lux illa ascenderet in

celum, ascendit simul et crucifer ille cum corpore in celum, ita quod post discessum lucis nullum vestigium, nulla particula vel signum inventum est de illo. Videbaturque Lithwanis astantibus et ascensionem illam mirantibus quod virgo pulcherrima ascenderet in celum. Sed quia hoc factum pagani affirmabant incantacionibus, non virtuti divine, ostendit eis aliud sequens miraculum quod in socio illius suspensi cruciferi experiri voluerunt. Nam viso predicto miraculo superstitem cruciferum dirumpto trunco arboris per medium incluserunt circumponentes et ignem copiosum ut vivus igne consumeretur, sed Dominus militem suum pro fide certantem non reliquit sine celesti presidio, nam subito celum fuit super ipsum apertum et quedam avis magna alba, qualis nunquam ab aliquo vivente visa fuit, descendit de celo in luce magna et veniens ad predictum eripuit de medio igne et tulit secum in celum cum corpore, quod videntes pagani dixerunt: *Vere magnus est Deus christianorum qui talia facit servis suis.* Eodem anno in Ytalia, in vigilia beati Marci
Apr. 24. ewangeliste factus est ter motus terre, ex quo subverse sunt septem civitates. In montibus autem circa Bononiam cecidit ros sanguineus in maxima quantitate, presidente Romane ecclesie domino Nicolao papa III, qui vocabatur Iohannes Gahetanus. Miserabiliter autem terra absorbuit civitates, quia descenderunt in abyssum cum suis habitatoribus, et audiebatur vox clamancium per quatuor dies de abysso: *Misericordiam, misericordiam, Deus.* Montes eciam duo convenerunt in unum; inter quos fluebat fluvius, qui ita fuit conclusus montibus, quod nullum meatum habens fecit lacum circa se, ad sexaginta miliaria et amplius, omnia subvertens. Aliqua eciam castra in montibus sita, aperiens se terra per motum terre, qui stetit 15 diebus, ipsa castra cum montibus absorbuit, aliquos montes ma-

ximos in planiciem deducens terre penitus coequavit et in populo stragem fecit miserabilem. Nam in quodam claustro Cysterciensi quinquaginta sorores occidit; et talia multa mala facta sunt. Anno eodem obiit gloriosus princeps Bolezlaus, filius Lestconis filii Kazimiri, dux Cracovie et Sandomirie. Fuit autem homo castus, pudicus, sobrius et mansuetus, nulli malum pro malo reddens, libertatum ecclesie conservator, militum verus amator, quia sibi nichil retinebat, sed omnia militibus largiebatur, religiosorum omnium fuit benefactor. Cuius mortem non solum terre domini, eciam vicine provincie principes ac milites defleverunt. Regnavit autem 37 annis, obiit autem sine prole. Cui successit per eleccionem dux Lestco, filius Kazimiri, frater eius patruelis filii Conradi. Uxor autem vero Kinga post sepulturam mariti sui suscipit habitum ordinis sancte Clare cum sorore Ioheleth, relicta Bolezlay ducis Polonie, que fuerunt uterine sorores, filie Bele regis Ungarie. Ingrediente duce supradicto Lestcone Cracoviam cum uxore sua Griphina, filius ducis Zemovithi Cuyavie, puer parvulus nomine Lestco, sedens in sinu Griphine prophetavit dicens: *Audi, patrua, ecce tu paries filium parvulum qui vocabitur Bolezlaus*, et hoc frequenter iteravit interrogantibus eum dominabus, que sedebant in curru, et ille nichil amplius respondit. Griphina erat ducis Roczislay et mater Anna.

Dec. 10.

1280. primo anno eleccionis ducis Lestconis venit Leo dux Rusie cum exercitu copioso Thartarorum et Lithwanorum et Ruthenorum volens possidere ducatum Cracovie et Sandomirie. Cui occurrerunt Cracovienses et Sandomirite in vigilia Mathie apostoli feria 6. circa Goslicz, videlicet Petrus filius Alberti Cracoviensis, Ianussius palatini Sandomirie, Varso castellanus Cracoviensis ad manum cum 600 hominibus et prostraverunt Tartharorum, Lithwanorum,

Febr. 23.

Ruthenorum admirabilem multitudinem, domino celi
victoriam conferente. Ipse autem secundo die fugit
de terra valde confusus, quem post 15 dies secutus
est dux Lestco habens secum 30 milia equitum et
duo milia peditum, et spoliavit eius terram mirabiliter
et castra subvertit Rusie. Reversusque est ad propria
in pace et cum gloria, presidente domino Nicolao
summo pontifice Romane ecclesie, domino Paulo
episcopo Cracoviensi.

1281. dominus Firminus episcopus et apostolice
sedis legatus per regnum Ungarie et per Poloniam,
a rege Ungarie captus est et extra Ungariam turpiter
in curru eductus, eo quod in officio sue legacionis
multas iniurias intulit eidem regi nomine Wladyslao.
Eodem anno predictus rex Ungarie a baronibus
suis captus est et in quodam castro positus cum
uxore sua, filia regis Karuli, ut vel sic possent prolem
habere. Erat enim prefatus rex Wladislaus lascivus
homo, non curans de uxore sua, sed quadam
abutebatur Comana. Eodem anno dux Henricus Wratislaviensis
cepit fratres suos duces, videlicet filium
Bolezlay, ducem Henricum de Lednicia fratrem patruelem,
cuius fratrem uterinum Bernardum occidit,
ducem Polonie Primislium fratrem amitalem,
filium ducis Primislii Polonie, ducem Henricum Glogoviensem
fratrem patruelem filium Conradi, hos duos
cepit, dolo vocans eos ad quandam ecclesiam racione
colloquii, pro quibus duram penam sustinuit in car-
1280. cere sue spoliacionis. Ipso anno obiit Nicolaus
Aug. 22. papa III. et Martinus Thuronensis nacione de cardinalibus
electus. Cuius temporibus fluxit Rome sanguis
de celo et inundacio aquarum fuit per totum fere
mundum.

1282. Lestko dux Cracoviensis, Sandomiriensis
et Syradiensis persecutus est Iaczuizitas, ammonitus
in sompniis per Michaelem archangelum et compre-
Oct. hendit eos ultra Narew. Quibus superatis reduxit

totam predam quam ipsi de Lublin abduxerant. In quo conflictu nullus hominum occisus est de ipsius exercitu; ubi mirabile accidit, quia canes quos predicti gentiles abduxerant, viso christianorum exercitu ceperunt gaudere, ululare et exultare per signa, qui simul cum christianis in occisionem gentilium conversi sunt mordentes atrocissime. Anno eodem [1285.]
Ianussius palatinus et milites Sandomirienses opposuerunt se predicto duci Lestkoni et castrum Sandomirense et castrum de Radom tradiderunt duci Conrado, principi Mazowie, sed prefatus dux Lestko expulit Conradum de terra, et predicta castra et totam terram in pace possedit. Eodem anno fuit maxima fames in terra Cracoviensi, propter quam infinita milia hominum exiverunt in Rusiam et in Ungariam, sed qui iverant in Rusiam dati sunt Tartharis, qui vero transiverunt in Ungariam venditi sunt Comanis. Eodem anno in die beati Francisci Oct. 4.
infra capitulum fratrum Predicatorum, quod celebravit eorum summus magister, intraverunt Lithwani, Christi inimici, pagani, clandestine terram Sandomiriensem, duce et fere omnibus militibus in Cracovia residentibus propter capitulum predictum, spoliantes et mactantes ministros Christi, sacerdotes et levitas, clericos, milites eorumque uxores cum pueris, cives cum uxoribus puerisque eorum, et villanos veluti pecora abducentes, eligendo senem et virum sue etatis occidentes, iuvenes et iuvenculas pro famulis in perpetuum alligantes. Quid plura auspicia in occisis christicolis contemplatur ab eisdem. Nullo autem resistente, sine omni lesione terra et hominibus devastatis exiverunt. Milites vero qui aufugerant ad castrum Sandomiriense, nuncium celerem ad ducem in Cracoviam, ibidem manentem, transmiserunt, qui stragem et seviciam predictorum paganorum, duci et baronibus cum lacrimis intimavit. Audito hoc dux illustris Lestko cum baronibus lugu

brem fletum emiserunt. Concitati et accincti Dei adiutorio et confidentia magis quam virium et armorum robore, confitentes peccata, dux cum suis baronibus, sumptoque corpore Christi, eos atrocissime seseque mutuo exhortantes insecuti sunt, quod cognicientes pagani in densissimis silvis se receperunt. Christiani vero videntes quod in tuto loco essent, eos invadere timuerunt et eciam ipsi plures fuerunt. Attamen ducti consilio spiritus almi fugam simulantes a presidio paganorum parum discesserunt, quod videntes Christi inimici omnes exiverunt de presidio, in quo se receperant, captivis vero relictis et legatis tamquam oves occisionis in eadem silva, acies contra ducem Lestkonem et barones ordinaverunt, qui videntes exercitus christianorum, aliqui timore perterriti retrocesserunt. Dux vero Dei adiutorio confisus taliter affatur suos commilitones: *Melius est nos mori pro Christi nomine et captivis gloriose, quam videre mala gentis nostre.* Hiis prolatis exercitum duabus alis cinxerunt, videlicet Segothoni tunc palatino Cracoviensi et Ianussio palatino Sandomiriensi existentibus has predictas a duce alas tradite fuerunt, quibus paganismum Deo opitulante vallaverunt et devicerunt. De occisis autem paganis in loco conflictus mille sexcentos die crastina conputaverunt, preter illos quos sepe nominate ale aspersim in silvis et paludibus mactaverunt, insuper captivos bene sex milia liberaverunt.

Aug. 24. 1283. in die sancti Bartholomei apostoli claustrum sororum in Gnezna confirmatur. Episcopus Cracoviensis dominus Paulus a duce Lestcone predicto in Lagow captivatur, ligatis omnibus artubus, Syradiensibus militibus in castrum Syradz transmitti-
Dec. 5. tur custodiendus. Eodem anno Nonas Decembris obiit dominus Albertus episcopus Wladislaviensis ecclesie, amator bonorum et proborum. Anno eodem obiit illustrissima domina coniunx domini ducis

Primislii maioris Polonie, filia Nicolay Kassubite, nomine Lucardis dicta, mortem vero eius nemo potuit indagare, qualiter interiit. Eodem anno in vigilia vigilie sancti Thome apostoli, dominico die, Dec. 19. dominus Iacobus dictus Swinka, in Kalis in domo fratrum sacerdos in sabbato, et dominico die in archiepiscopum Gneznensis ecclesie consecratur. In eadem autem consecratione quinque episcopi fuerunt. Dux eciam Primislius nomine, filius Primislii, sepulta uxore quatuor diebus ante in Gnezna, quantocius ad predictam consecracionem cum magna multitudine advenit, et eidem domino archiepiscopo anulum obtulit preciosum.

Anno Domini 1284, 14. Kal. Aprilis dominus Mart. 19. Wyslaus prepositus Plocensis domino Alberto episcopo Cuyaviensi in episcopatum successit, et a domino Iacobo dicto Swinka archiepiscopo Gneznensi in claustro Strelnensi in episcopum consecratur. Eodem anno arsit civitas Kalisiensis in vigilia beati Sept. 28. Michaelis. Anno eodem a Sandowoyone capitur castrum Kalisiense, scilicet filio Yanconis, filiolo Archanbaldi, quod tradidit duci Wratislaviensi, Hinrico IV, ad quod requirendum dux Primislius maioris Polonie cum magna multitudine militum advenit, sed fraude militum suorum mediante, circa idem castrum pugnantibus, nobiles milites perdidit, in hoc non suffecit quin et terram predictis baronibus videlicet traditoribus consulentibus duci Wratislaviensi usque in Oloboch tradidit possidendam, et castrum in eisdem terminis edificavit pro castro Kalesensi sibi reddito a Hinrico duce Wratislaviensi. Eodem anno Tarthari terram Ungarie, que dicitur de Septemcastris, intraverunt et multos christianos captivaverunt et occiderunt. Christus autem tutor christianorum, magnam famem in eos et pestilenciam inmisit; quod audientes Septemcastrenses Deo victoriam commiserunt, dicentes: *Melius est gladio perire*

quam fame in castris et in civitatibus propter Tartharos interire. Vota complent opere. Quod audientes Tarthari, christianis se cingunt, facientes de ipsis quasi coream, ut videntes christiani fratrum suorum miserentur et propter hoc ipsos paganos non impediant ut pugnarent, sed inquiunt christiani: *Melius carere est unicuique nostrum ne pereamus simul cum illis.* Et tamen Deo opitulante paganos superaverunt et captivis liberatis cum victoria remeaverunt.
Mart. 28. 1285. dominus Martinus papa obiit. Wratislaviensis dux Iohannes Menschicz cum Petro et Sbilutone occiduntur. Synodus celebratur in Lancicia
Ian. 6. in epiphania Domini. Eodem anno capitur Benyamin et Sandyvoyus. Eodem anno dux Lestko piissimus
Aug. 2. de suis militibus triumphavit in die sancti Stephani pape et martiris. Episcopus Wratislaviensis cum
[1284.] clero et prelatis et Predicatores de civitate fugantur per crudeles consules et cives et ducem ipsorum. Dominus Iacobus dictus Swinka archiepisco-
Ian. 6. pus Gneznensis cum suis suffraganeis in epiphania Domini synodum in Lancicia celebravit, in qua synodo ducem Wratislaviensem Hinricum IV. pro violencia, quam intulerat episcopo suo et canonicis
Ian. 15. Wratislaviensibus publice excommunicavit. Eodem
c. Iun. 24. anno circa festum sancti Iohannis baptiste quidam vermes volatiles in terra cruciferorum pleni veneno excreverant, qui suo morsu multos homines interimerunt. Eodem anno dux Lestko piissimus Cracoviensis, Sandomiriensis et Syradiensis, de suis militibus et duce Conrado Mazoviensi gloriose triumphavit. Quia dicti milites videlicet Cracovienses ducem
[Aug. 15.] Conradum in preiudicium ducis Lestconis sibi elegerant in dominum et heredem, sancto viro contempto. Et quia Deus non dereliquit iustum nec semen eius querens panem, dux Lestco videns maliciam suorum baronum, confugit ad auxilium Ungarorum, qui statim ei affuerunt in presidium. Non

tantum Ungari christiani causam ducis pii et incliti condolentes sed et pagani Comani eius vicem fortissime condolerunt, et extimplo cum dicto duce utrique contra milites Cracovienses et ducem Conradum acies ordinaverunt. Mirabile dictu, fit congressus, Deo iuvante, dux Lestko cum paucis suis Cracoviensibus fidelibus et Ungaris Comanisque vix sexcentis ducem Conradum cum magna multitudine hominum fugavit, mactavit et captivavit, et sic cum gloria ad Cracoviense castrum remeavit, quod solum sibi per cives Cracovienses de omnibus castris terre Cracoviensis fuit fideliter reservatum, domina ducissa in eodem castro, videlicet Griphina, residente. Pro qua fidelitate dux Lestco predictis civibus civitatem Cracoviensem fortissimis plancis et fossatis, renitentibus militibus, eodem anno munivit et magnas contulit libertates. Eodem anno sequenti die post nativitatem virginis Marie obiit regina Bohemie. Anno Sept. 9.
eodem dux Primislius maioris Polonie duxit uxorem, filiam regis Swecie, nomine Rithcam, in octavis sancti Francisci. Oct. 11.

1286. castrum a Ruthenis et a Lithwanis nomine Gostyn acquiritur fraude videlicet Conradi ducis, multorumque sanguis effusus est innoxius; in eodem mortuorum et captivorum sexcenti et amplius sunt numerati. Eodem anno dominus Iohannes Poznaniensis episcopus moritur, cui dominus Iohannes traditor successit et in Lenda claustro Griseorum in episcopum consecratur. Anno eodem dux Bernardus moritur, filius Bolezlay Rogatce. Eodem anno post assumpcionem beate virginis Marie, Apr. 15.
castrum Plocense a Wolkone duce Brecensi et Lanciciensi acquiritur. Dux Mazovie Conradus cum mi- [cf. 1285.]
litibus Cracovie et Sandomirie conantur eicere Lestconem et civitatem conburunt, sed cum auxilio regis Ungarie vincuntur.

quam fame in castris et in civitatibus propter Tartharos interire. Vota complent opere. Quod audientes Tarthari, christianis se cingunt, facientes de ipsis quasi coream, ut videntes christiani fratrum suorum miserentur et propter hoc ipsos paganos non impediant ut pugnarent, sed inquiunt christiani: *Melius carere est unicuique nostrum ne pereamus simul cum illis.* Et tamen Deo opitulante paganos superaverunt et captivis liberatis cum victoria remeaverunt.

Mart. 28. 1285. dominus Martinus papa obiit. Wratislaviensis dux Iohannes Menschicz cum Petro et Sbilutone occiduntur. Synodus celebratur in Lancicia
Ian. 6. in epiphania Domini. Eodem anno capitur Benyamin et Sandyvoyus. Eodem anno dux Lestko piissimus
Aug. 2. de suis militibus triumphavit in die sancti Stephani pape et martiris. Episcopus Wratislaviensis cum
[1284.] clero et prelatis et Predicatores de civitate fugantur per crudeles consules et cives et ducem ipsorum. Dominus Iacobus dictus Swinka archiepisco-
Ian. 6. pus Gneznensis cum suis suffraganeis in epiphania Domini synodum in Lancicia celebravit, in qua synodo ducem Wratislaviensem Hinricum IV. pro violencia, quam intulerat episcopo suo et canonicis
Ian. 15. Wratislaviensibus publice excommunicavit. Eodem
c. Iun. 24. anno circa festum sancti Iohannis baptiste quidam vermes volatiles in terra cruciferorum pleni veneno excreverant, qui suo morsu multos homines interimerunt. Eodem anno dux Lestko piissimus Cracoviensis, Sandomiriensis et Syradiensis, de suis militibus et duce Conrado Mazoviensi gloriose triumphavit. Quia dicti milites videlicet Cracovienses ducem
[Aug. 15.] Conradum in preiudicium ducis Lestconis sibi elegerant in dominum et heredem, sancto viro contempto. Et quia Deus non dereliquit iustum nec semen eius querens panem, dux Lestco videns maliciam suorum baronum, confugit ad auxilium Ungarorum, qui statim ei affuerunt in presidium. Non

tantum Ungari christiani causam ducis pii et incliti condolentes sed et pagani Comani eius vicem fortissime condolerunt, et extimplo cum dicto duce utrique contra milites Cracovienses et ducem Conradum acies ordinaverunt. Mirabile dictu, fit congressus, Deo iuvante, dux Lestko cum paucis suis Cracoviensibus fidelibus et Ungaris Comanisque vix sexcentis ducem Conradum cum magna multitudine hominum fugavit, mactavit et captivavit, et sic cum gloria ad Cracoviense castrum remeavit, quod solum sibi per cives Cracovienses de omnibus castris terre Cracoviensis fuit fideliter reservatum, domina ducissa in eodem castro, videlicet Griphina, residente. Pro qua fidelitate dux Lestco predictis civibus civitatem Cracoviensem fortissimis plancis et fossatis, renitentibus militibus, eodem anno munivit et magnas contulit libertates. Eodem anno sequenti die post nati-
vitatem virginis Marie obiit regina Bohemie. Anno Sept. 9.
eodem dux Primislius maioris Polonie duxit uxorem, filiam regis Swecie, nomine Rithcam, in octavis
sancti Francisci. Oct. 11.

1286. castrum a Ruthenis et a Lithwanis nomine Gostyn acquiritur fraude videlicet Conradi ducis, multorumque sanguis effusus est innoxius; in eodem mortuorum et captivorum sexcenti et amplius sunt numerati. Eodem anno dominus Iohannes Poznaniensis episcopus moritur, cui dominus Iohannes traditor successit et in Lenda claustro Griseorum in episcopum consecratur. Anno eodem dux Bernardus moritur, filius Bolezlay Rogatce. Eo-
dem anno post assumpcionem beate virginis Marie, Apr. 15.
castrum Plocense a Wolkone duce Brecensi et Lanci-
ciensi acquiritur. Dux Mazovie Conradus cum mi- [cf. 1285.]
litibus Cracovie et Sandomirie conantur eicere Lestconem et civitatem conburunt, sed cum auxilio regis Ungarie vincuntur.

1287. Semovitus dux Cuyavie obiit. Dominus
Apr. 3. papa Honorius obiit. Tarthari veniunt.

Sept. 1. 1288. in die sancti Egidii ducissa Polonie nomine Richca, uxor ducis Primislii secundi, peperit filiam in civitate Poznaniensi. Lestco dux Cracovie, Sandomirie, Syradie sine prole obiit, cui Bolezlaus, dux Mazovie, succedit per eleccionem. Statim Henricus dux Wratislaviensis venit, cui civitas per carnifices traditur, castrum per Sulconem; et multa mala orta sunt in terra.

Febr. 26. 1289. duces in Sevyor bellum conmittunt Bolezlaus Mazovie et Wladizlaus Cuyavie contra Zlesienses, et vincunt, multos vero captivant ex Zlesiensibus et Teuthonicis occiduntur. Circa Scalam prosternuntur milites multi. In Swetnicz dux Wladyslaus dictus Loctek cum Teuthonicis bellum committit et vicit eosdem. Civitas denuo Cracoviensis Zlesiensibus traditur et dux Wladislaus pedester vix effugit. Episcopus Paulus captivatur et milites multi alii occiduntur, terra vastatur et multa mala aucta sunt.

Iun. 23. 1290. Henricus dux Wratislavie et Cracovie
Sept. obiit. Primislius Cracoviam optinuit, Wladislaus Sandomiriam. Eodem anno rex Ungarie circa
Iul. 10. Chrober submergitur, et gwerre magne in terra facte sunt.

Febr. Mart. 1291. terra Cracoviensis regi Bohemie traditur per ducem Polonie Primislium, et episcopus Banbergensis venit cum exercitu regis Bohemie. Wladislaus dux Wysliciam et Oblekom expugnavit, et exercitus Bohemicus a Sandomiria confusus discessit.

Iul. 24. 1292. domina Kinga ducissa obiit Cracovie. Paulus episcopus Cracovie obiit, cui Procopius successit.
Oct. Eodem anno rex Bohemie Syracz acquisivit.

1293. Tarthari circa Sandomiriam fuerunt.

1294. strages maxima facta est in militibus per Litwanos et dux Kazimirus, dux Lancicie, occiditur per eosdem.

1295. Primislius dux maioris Polonie a domino Iacobo archiepiscopo dicto Swinca, post festum Io- Iun. 26. hannis baptiste die dominico inungitur in regem Polonie in Gnezna. Eodem anno Litwani vastaverunt usque in Gnoyno. Episcopus Procopius obiit, cui Iohannes dictus Muscata successit Teuthonicus.

1296, 6. Idus Februarii rex Primislius maioris Febr. 8. Polonie occiditur a suis militibus, videlicet Polonis turpiter. Litwani terram Sandomiriensem intrant et vincuntur.

1297. dux Wladyslaus, Loctek dictus, cum Ungaris et Polonis vastat Zlesiam.

1298. generalis pestilencia animalium in tota Polonia.

1300. dominus Wyslaus episcopus Cuyaviensis migravit ad Christum, cui successit dominus Gerwardus, qui mortuus est in curia summi pontificis pape. Eodem anno tempestas fuit maxima. Anno eodem rex Bohemie intrat Poloniam et obtinet totam. Et Rutheni terram Sandomiriensem intrant et Novam-civitatem spoliant et comburunt et multa mala in tota terra fecerunt, militibus existentibus in bello cum rege Bohemie.

1301. domicella Salomea, filia ducis Semovithi, obiit.

1302. Swetoslava filia magni principis Russie, ordinis sancte Clare obiit. Eodem anno inierunt milites Cracovienses et Sandomirienses Russiam, videlicet Lublin novum, quod Rutheni occupaverunt pluribus annis, expugnaverunt, deinde in paucis cum multitudine Ruthenorum et Lithwanorum ac Tartharorum pugnaverunt, et Domino cooperante de omnibus triumphaverunt. Postea reversi ipsum castrum Lublin optinuerunt.

1304. intrat dux Wladyslaus dictus Loctek terram Cracoviensem cum Ungaris et optinuit Wysliciam.

1305. terram Sandomiriensem obtinet predictus dux Wladyslaus.

1306. civitas Cracoviensis duci Wladyslao dicto Loctek sibi traditur. Et eodem anno arsit circa ecclesiam omnium sanctorum. De illo igne ventus portavit super ecclesiam kathedralem et exussit totam et castrum; quam ecclesiam prenotatus dux Wladyslaus una cum uxore sua Hedvige et filio ipsorum excellentissimo Kazimiro, succedente in regnum, reedificant ad honorem sanctorum Wenzeslay et Stanislay martirum.

1311. 1312. cives Cracovienses opponunt se duci Wladyslao dicto Loketkoni.

Ian. 20. 1320. rex Wladyslaus cognominatus Loctek coronatur in Cracovia auctoritate domini pape per venerabilem in Christo patrem Ianisslaum archiepiscopum Gneznensem. Eodem anno filia ipsius Elizabeth regi Ungarie copulatur Karolo.

1325. Kazimirus filius regis Polonie Wladyslay dicti Loctek duxit uxorem Annam nomine baptizatam in Christi nomine, filiam Gedimini ducis Litwanorum
Apr. 30 in vigilia apostolorum Philippi et Iacobi, quindecim annos habuit a nativitate sua.

CONTINUATIO ANNALIUM POLONORUM I. ET III.

Apr. 17. 1330. quidam miles nomine Felicianus nacione Ungarus feria tercia post conductum pasche irruit in regem Karolum, volens ipsum cum uxore sua nomine Elizabeth, que fuit filia Wladyslay dicti Loctek et cum filiis trucidare, et amputans manum regine dextram, et ipsum regem graviter vulnerans ad manum, solus miserabiliter ibidem concisus occubuit. Pro quo scelere suus filius et filia, et tota pene sua genealogia fuit extincta. Ipso anno fuit tanta fertilitas in tota Polonia, quod in Cracovia mensura siliginis interdum non solvebat grossum. Anno

ipso exeuntes cruciferi cremaverunt castrum Wysegrod in Cuyavia multis nobilibus ibidem occisis, set non sine magno detrimento suorum, quia pro quolibet capite nostrorum bene ipsorum octo vel novem ceciderunt. Ipso in tempore cremaverunt ca- Iul. 9. 1329.
strum Nakel, acquisiverunt castrum Raczas episcopale, metu eciam ipsorum castrum Radeyow per nostros fuit crematum. Et quia nullus fuit rebellans, Iul. 5. 7.
quamvis multa dampna in hominibus percepissent, tamen cum victoria et prosperitate ad propria sunt reversi, in vulgo autem maximam sanguinis effusionem fecerunt; nam virum et mulierem, iuvenem et senem, pregnantes et vagientes, clericos et sacerdotes, omnes quos invenire poterant, gladio extinxerunt. Rex igitur Wladyslaus dictus Loctek Polonię videns sue tantam gentis affliccionem, congregata milicia totius Polonie et auxiliariis de Ungaria prope decem milibus et de aliis stipendiariis non paucis, venit tempore autumpnali usque ad fluvium Drawoczam, illis ex alia partę fluvii suo toto cum robore obsistentibus; et cum pluribus diebus quocumque nostri, illi ex alia parte contra nostros transirent et maxime in illis locis ubi vada erant, alias enim totum fluvium truncis, exigonis et falcibus impleverant ad unius hominis simplicis vadum ostendentis consilium, rex dimissis in latibulis expeditorum prope duobus milibus viris, simulavit se rex cum toto exercitu circa Brodniczam velle pertransire, ubi ipsi barbati contra regem omnes insimul convenerunt. Insidie igitur regis fluvium transmeantes signum sui transitus fumo ostenderunt. Rex igitur qui ad tria bene miliaria erat a loco, concito gradu suo cum exercitu fluvium transivit et conflictum cum suis avidius prestolabatur. Illi autem videntes, quia virtuti regis occurrere non valebant, in municionibus se clauserunt et per fraudatores nostros agentes cum potuisset tunc totam terram opti-

nere, Dobrinensem terram et castrum et Bidcosce aliud castrum sibi resignantes datis suis et suorum et ipsorum civitatibus civium litteris super duos arbitros videlicet regem Ungarie ex parte nostra, et regem Bohemie negocium ex parte ipsorum di-
Oct. 18. miserunt. Et acceptis treugis a festo sancti Luce
Iun. 3. ewangeliste usque ad festum sancte Trinitatis rex noster cum rege Ungarie comparavit et ipsi in termino nec regem Bohemie adduxerunt nec soli comparuerunt. Et sic per fas et nephas regem Polonie de terra evaserunt. Qui in eorum terra 15 diebus stetit et fere adnichilata terra cum suis ad propria rediit. Fertur autem quod in suo exercitu duo milia et centum galeatos habuerit, aliorum eque armatorum sine galeis prope viginti milia, sagittariorum et aliorum fere triginta milia ita quod secundum veri relacionem exercitus Polonicus estimatus fuit plus quam 50 milia. Hic rex Wladyslaus faciens collo-
1330. quium in festo sancte Trinitatis in Chaczin filio suo
Iun. 3. Kazimiro qui duxerat filiam Gedimini ducis Litwanorum, maiorem Poloniam, Syradiam, Cuyaviam tradidit possidendam, interminans sibi et inculcans, ut sicut ipse, ita ille gades regni reformare studeret. Hic Kazimirus veniens in Poloniam, fere a possessione fuit per quendam Vincencium palatinum Poznaniensem, quem pater eius prefecerat eisdem terris preter Syradiam, inpeditus, et nisi milites et civitatum cives fuissent, terram a rege et filio suo voluit alienare. Predictus igitur Vincencius, regni pessimus defraudator et gentis, inpaciens huius alienacionis circa festum sancte Marie Magdalene callide et occulte cruciferos eduxit, qui fere Cuyaviam et Wladislaw civitatem ceperant nisi auxilio Dei et propugnancium virtute fuisset defensata; ubi ipsi barbati fere ducentos homines amiserunt. Tandem a civitate cum dampno discesserunt. Supra dictus igitur Vincencius ipsos barbatos caute in

Poloniam duxit qui Slupczam civitatem captam devastantes, in Pisder ubi tunc Kazimirus erat, venire festinabant ipsum preocupare cupientes. Sed Deo volente a civitate discesserat, quem eciam tunc per fraudem et neglicenciam fidelium civium capientes et pluribus occisis et cremata civitate cum fratrum monasterio, inde abierunt et pervagantes totam pene ex illa parte Varte terram vastant. Civitatibus, forensibus et aliis municulis crematis, nullo obstante, Vincencio pessimo fraudatore agente, quamvis cum magno dampno suorum, cum ingenti preda in Thorun sunt reversi. Et non post multum tempus, congregato exercitu copioso et stipendiariis de Reno et aliis partibus Almannorum quam plurimis, Lanciciam advenerunt, quam devastantes, Syradiam ingressi Uneow civitatem et castrum et aliud Syradiense castrum et civitates cremantes, in Kalis pervenerunt, quam duobus diebus oppugnantes et nichil proficientes, quadraginta et pene plus suorum amissis in Conyn pervenerunt, ubi eciam viginti homines ad pugnam expeditos amiserunt. Rex namque Polonicus Wladislaus quamvis ipsis circa Lanciciam occurrisset tamen eos invadere non audebat, quia ipsum et in numero et in fortitudine quam plurimum excedebant. Sed de Lancicia ipsorum ad unum vel duo miliaria semper sequebatur, eos debilitans, vestigia; ubi eciam predictum Vincencium, de quo memorati sumus, per litteras patentes advocans, ipsum sibi et filio reconciliavit. Qui Vincencius volens nomen perdere infidelitatis ipsos barbatos et eorum exercitum fuit sagaciter exploratus, et quamvis incomparabiliter plures illos cognosceret et forciores, ne metum Polonis et Cracoviensibus et Sandomiriensibus et aliis incuteret, ipsos respectu nullos esse et nichil posse affirmavit, quamvis regis auribus aliud inculcare non obmisit. Veniens igitur rex post ipsos in Cuyaviam circa Plowecz villam ultra Raczeow

1331. sitam Deo et beatis Adalberto et Stanislao sacris
Sept. 27. pontificibus et martiribus se et suos recommendans, in translacione beati Stanislai cum ipsis conflixit et Deo et suis sanctis sibi adiuvantibus tanta fuit in ipsos cede debachatus ut 20 milia de ipsis prostraverit[g], ut ipsemet rex fatetur et omnes alii. Inter quos quingenti barbati, nongenti galeati cum sexcentibus ipsorum auxiliariis ceciderunt, quadraginta et eo plures galeati ex quibus aliqui barbati, aliqui stipendarii de remotis partibus, aliqui Pomorani, Prusi et eorum terrigene nobiles capti. Inter quos quidam nobilis princeps nomine Rus in habitu eorum, ad quem vis tota belli et illius expedicionis pertinebat, fuit captus et in Cracoviam, ad quam cum exercitu venire conabatur, deductus est et in vinculis detentus. Acta sunt hec anno Domini 1331. Igitur ut ab omnibus communiter qui prelio interfuerunt affirmatur, si plures de Cracoviensibus a prelio et de prelio non fuissent de illorum prope 40 milium numerosa multitudine nullus penitus aufugisset. Sepe enim dictus Vincencius ut totam coniecturam et opinionem omnium fraudis quam penes eum autumabant, nec non et totam suspicionem tolleret, ipse bellum cum suis inchoavit, viriliter pugnavit et cum domino rege et sui regni nobilibus fortiter decertans victoriose glorie triumphum de barbatis et eorum auxiliariis feliciter representavit. Ambiguum igitur penes multos est, quod dictus Vincencius tantam fraudem et tam crudelem cladem sue genti fuisset molitus, cum in tam arduo negocio et valde necessario Polonie regno tantam gloriam in perpetuum duraturam acquisivit. Nec hoc pretereundum est quasi non de modico miraculo, quod cum tot de illis ruerint, de Polonis solummodo duodecim nobiles et de simplicibus prope 30 viri ceciderunt, ut limpide agnoscamus Deum cum suis sanctis pro ipsis pugnasse ut in tanti prodigii monumentum

a gente Polonica in perpetuum sine intermissione Deus collaudetur.

Ipso in tempore circa festum sancti Michaelis audita clade barbatorum cum manu forti venit Poznaniam rex Bohemie Iohannes et oppugnabat eam cum machinis et fossoribus, sed militibus et civibus foritter repugnantibus, quingentos homines perdens et de fossoribus plures amittens, machinas derelinquens, confusus cum magna tristicia et desolacione et dampno viginti milium marcarum in Wratislaviam repedavit.

In anno 1332. exeuntes cruciferi in cena Domini vallaverunt Brestz, quam inpugnantes quatuor diebus cum machinis et aliis instrumentis, eo quod pauci milites fuerunt in ea, ipsam per tradicionem aliquorum civium quinto die obtinuerunt. Ipso in tempore Wladyslavia-iunior sponte se subdidit eisdem. Milites igitur cum uxoribus et pueris ultro exulantes preter Albertum palatinum dictum Chostelecz, qui in castro dicto Pacoscz se cum suis recepit et dictis se cruciferis viriliter resistendo opposuit, alii omnes in Cracoviam ad regem se contulerunt. Ipso anno talis estus fuit ut homines vetuli dixerunt numquam se diebus suis in terra Cracovie talem estum fuisse expertos; unde ad magne indicium siccitatis Vandalus fluvius in tantum decrevit ut decennis et duodecennis pueris in pluribus locis meabilis et vadabilis esset. Messis eciam ita mature advenit ut in festo sancti Iohannis baptiste multa capecia siliginis in campo cernerentur, omni etati hominum ante incognitum invisum et inauditum. Eodem anno circa festum Iohannis baptiste Vincencius palatinus inopinabiliter telo percussus interiit. Rex Wladislaus vero circa assumpcionem beate Virginis iterum contra cruciferos est profectus et quia fraudatores nusquam desunt, nichil circa ipsos valens proficere, treugas usque ad pentecostes interim

Apr. 16. Aug. 15

consiliandi et de negocio colloquendi cum ipsis accipiens, in Poloniam maiorem remeavit, ubi fugitivos duces Polonie regno incumbentes aggrediens, quinquaginta et eo amplius ipsorum fortalicia cremans et destruens Cosczan castrum quod plus genti Polonice imminebat cum exercitu vallavit. Hii autem qui erant in castro conclusi de loci firmitate et virtute animorum confisi non solum pacem non recipere set rebellare fortiter contendebant. Quod videns filius regis excellentissimus Kazimirus cum Ungaris et suis, facto impetu castrum est aggressus, quod et acquirens potenter prope 100 hominum ibidem peremit, inter quos erant quinquaginta galeati, alii Zlesite, alii Bohemi, alii Almanni, multum nobiles viri, quorum nullum dux Kazimirus vivere permisit; et sic pacato regno in Cracoviam rediit cum triumpho.

Hic tandem Wladyslaus rex dictus Loctek Polonie eximius post multos agones, ubi contra hostes gentis viriliter decertavit, post multa certamina victorias triumphos de adversariis pro placito sumptos pro voto adhuc viribus pollens, anno etatis sue septuagesimo tercio, 6. Nonas Marcii dominice autem incarnacionis 1333, in magnam totius Polonie desolacionem et tristiciam gentis decubuit. Et cum iam se moriturum presensisset, fratri Helye ordinis fratrum Predicatorum, viro conversacione laudabilis et in omni honestate approbato, qui super ipsum de omnibus suis delictis domini pape dispensandi et absolvendi plenam et omnimodam habebat auctoritatem, humiliter extitit magna cordis cum contricione confessus. Quem post hoc Spicimirus castellanus et Iarosslaus archidiaconus Cracoviensis, qui tunc infirmitati sue preerant, non cum parvo fletu allocuti fuere tali modo: *Domine rex, tu tuos nobiles, divites et pauperes, insignes et parvos, superbos et humiles, senes et iuvenes et quemlibet in statu suo sine molestacione qualibet in bonis et iuribus ipsorum vite*

tue temporibus decentissime confovebas. Ipsi vero te exigentibus tue gracie et benignitati meritis usque ad eadem tempora cum bonis et corporibus eorum nullatenus deserebant. Exhortare ergo eosdem nobiles tuos ut filium tuum Kazimirum quem in successorem tuum et regni dimittis, dileccione et favore prosequantur. Qui licet iam quasi in virtute lingue et sermonis deficiens, tamen eosdem Spicimirum et Iarosslaum una cum aliis circumstantibus curialiter est affatus: *O viri michi et proli mee magni fautores, utinam filius meus exemplo ductus meo vobiscum taliter conversaretur sicut ego crederem, utique quod eum sicut et michi fecistis, diligetis. Attamen si secus fuerit, quod absit, hoc vestre industrie et fidelitati, quam semper erga me habuistis, fiducialiter recommendo. Sed quod pro ipso iam petam ignorans de suo statu futuro vobiscum non faciam ista vice.* Et hec dicens filio suo dilecto Kazimiro ibidem presenti nobiles suos universaliter in omnimodam fidelitatem recommendans in Domino obdormivit.

Sic illud fulgentissimum sydus gentis caligine mortis obumbratum, magnum chaos errorum et licium reliquisset, nisi supernus tytan de radio a tanto sydere Polonice genti salubriter providisset. Nam superstitem post se filium Kazimirum nomine de quo supra prelibavimus, genti dimisit. Unde dolori risus et luctui gaudium dabat moderamen, quatenus qui erant de occasu talis solaris planete merentes, de tanta luce relicta maneant honorantes.

Iste Wladyslaus filius fuit ducis Kazimiri terrarum Cuyavie, Syradie et Lancicie, cui Wladyslao inter suos fratres terra Brestensis in Cuyawia sorte advenerat. Hic ducis Bolezlay Kalisiensis filiam nomine Hedvigem in uxorem accipiens post mortem ipsius ducis et eciam heredum, maioris Polonie dominium ibidem est assequutus, quod et multis tenuit annis. Tandem fraude nobilium Polonie agente, per

regem Bohemie Wenceslaum non solum de Polonia et Pomorania, sed eciam de sua sorte et de terra Syradie et Lancicie, que sibi post suorum fratrum obitum advenerant, nec uno sibi relicto, fuit turpiter et fraudulenter eiectus. Sic itaque terris orbatus, quamvis multorum amicorum auxilium postulans adisset, vanis promissis ipsum decipientes inanem et spe vacuum per multa temporum curricula toto orbe instabilem divagari permiserunt. Qui videns se a suis omnimode destitutum cum paucis sequacibus in Ungariam ad Amadeum quemdam virum nobilem et potentem secessit cuius auxilio, sed magis divino, Sandomiriam et Cracoviam terras et alias omnes quas supra memoravimus debellans viriliter optinuit, Bohemos qui 18 annis eas tenuerant potenter evellens et eiciens nunquam illuc redituros. Cum igitur predictas terras, Deo illi pacem tribuente, tranquille possedisset, volens ipsum Deus post talem casum gloria et honore illustrare aut gentem Polonicam magnificare, domino Gerwardo, episcopo Cuyaviense agente et elaborante circa dominum Iohannem dictum papam XXII, coronam est assequutus, qua etatis sue 60. anno cum sua felici consorte et omni bonorum memoria domina Hedvige in Cracovia per dominum Ianisslaum archiepiscopum et alios plures episcopos, anno Domini 1320. fuit gloriose coronatus, quam eciam suo successori videlicet filio suo Kazimiro, de quo ulterius sermo habendus erit et sue posteritati feliciter perpetuo duraturam reliquit. Hic inter virtutum karismata tribus ultra humanam estimacionem effloruit luculenter. Videlicet insigni pietate, quia nisi coactus aliquem morti tradi iussit, inestimabili humilitate, ut quid esset fastus aut superbia penitus ignoraret, indicibili paciencia, nam vindex iniurie nullatenus esse potuit, ymo se iniuriantibus humanissimum exhibuit, placidum vultum in omni-

bus illis ostendens. Quapropter inspector omnium actuum Deus tantum decorem suo corpori in morte contulit, ut quamvis diebus pluribus sua sepultura fuerit protelata, semper firmus in suo decore placabili seu amicabili ad magnam omnium admiracionem et stuporem permansit.

Kazimirus igitur filius suus suscepto regno ad instinctum et preceptum regis Ungarie, generis sui Karoli, acceleravit coronari. Unde per dominum Ianisslaum archiepiscopum in die Marci ewangeliste 1333. Apr. 25.
in Cracovia cum magna sollempnitate fuit coronatus. Coronatus autem statim in maleficos in tantum desevit ut in modico tempore multos eorum delevit, dans metum pluribus, ut se a furtis et latrociniis cohiberent. Unde factum est quod omnes qui vero furtis et latrociniis inserviebant aut intercessione baronum ad mansuetudinem sunt reducti aut perpetuo exilio fuerunt sine mora ad mortem dampnati.

1339. obiit Anna filia Gedimini ducis Lithwanorum, consors domini Kazimiri regis Polonie Wladyslaides dicti Loketkonis, 4. Kal. Iunii. Hec tantum solaciis choreis et leticie dedita fuit, ut quocumque in equo sive curru ibat, semper ante ipsam cum sambucis et tympanis et fialis et cantilęnis et diversis melodiis ibant canentes, satis multorum in scandalum. Hic est quod satis portendo et terribili fato ex hac vita decessit, tamen occulte religiosos et pauperes multum supportabat.

Anno Domini 1340. Bolezlaus filius Troydeni ducis Mazovie, princeps Ruthenorum a suis inpocinnatus circa festum annunciacionis beate Marie, ex hac vita migravit. Hic dicitur suis multum fuisse violentus, ipsos capiens et pecunias ab ipsis extorquens, filias eorum et uxores rapiens et easdem dehonestans, nec non alias gentes, sicut Bohemos et Almannos super ipsos inducens. Unde videtur quod com-

pulsi tot iniuriis talem sibi mortem procuraverunt. Audiens Kazimirus rex Polonie, quod ita vita decessisset Russiam circa festum pasche in parvo numero intrans, christianos et mercatores, qui se in castro Liwow receperant, castro cremato cum uxoribus, pueris et rebus eorum usque in regnum suum deduxit. Ubi spolia multa in argento, auro et gemmis, thesaurum ducum antiquorum tollens, inter quod erant aliquod cruces auree, precipue unam, in qua magna quantitas de ligno crucis Domini fuit reperta, et duo preciosissima dyademata, et una tunica valde preciosa, nec non et sella auro et gemmis adornata. Hiis omnibus sublatis ad propria est reversus. Eodem anno circa festum Iohannis baptiste idem rex Kazimirus congregans exercitum validum prope 20 milium, iterum Russiam intravit, ubi castella et municiones aliquod ipsorum destruens ipsos sibi inperfecte subiecit. Et quamvis Tartharorum prope 40 milium et Ruthenorum totidem vel plures fuissent congregati, tamen quodam metu et terrore et peraudactissimos licetque simplices Mazovienses sunt multi interempti et mactati, et forte divino auxilio magis percussi fugam inierunt, et sic rex cum victoria et magna gloria ad propria fuit reversus sine omni lesione seu perdicione suorum nobilium. Thratka eciam fuit ibidem.

CONTINUATIO ANNALIUM POLONORUM III.

Anno Domini 1342. Ianislaus obiit archiepiscopus, cui successit Iaroslaus fundator monasterii Coprivniensis.

1343. obiit Iohannes Grotthonis episcopus Cracoviensis, qui vixit viginti annis et duobus mensibus. Cui successit Petrus dictus Scyrthik et in curia

Avinionis ibi moritur. Cui successit Bodzantha decanus per provisionem apostolicam.

1346. Bodzantha .... moritur et in ecclesia Cracoviensi tumulatur. Post hoc secundo die mensis Ianuarii in ecclesia Cracoviensi per capitulum eiusdem ecclesie in locum Bodzanthe, domnus Florianus cancellarius Lanciciensis in episcopum eligitur et 9. die eiusdem mensis per domnum Iaroslaum archiepiscopum Gneznensem confirmatur. 1366. Dec. 12.

1370. Kazimirus rex Polonie obiit feria tercia ante diem sancti Martini. Et erat in hac sillaba *bre*, videlicet *Omne Novembre*. Post hoc in die sancte Elizabeth domnus Lodwicus rex Ungarorum in ecclesia Cracoviensi in regem Polonie honorifice coronatur. Nov 5.

1376. in vigilia vigilie omnium sanctorum Lithwani nocturno tempore nullo presciente diffuderunt se circa Wyslam ex opposito Sandomirie vastare ceperant. Et 23 milia hominum ceperunt partim peremerunt in ascenso eiusdem ad duodecim vel 13 miliaria igni et gladio cuncta consumentes. Eodem anno quidam nobiles terre Cracoviensis dominica *populus Syon* occiderunt multos Ungaros existente antiqua domina Ungarie in castro Cracoviensi penes sancti Egidii ecclesiam sub castro. Oct. 30. Dec. 7.

1378. dominus Carolus imperator obiit in vigilia sancti Andree super noctem. Eodem anno surrexit quidam antipapa nomine Clemens XII. qui erat ante cardinalis Eberiensis. Nov. 29.

1380. Florianus episcopus Cracoviensis obiit feria secunda in die beate Dorothee virginis super noctem. Febr. 6.

1386. illustris princeps Iogel supremus Lythwanorum in regem Polonorum coronatur in Cracovia in crastino sancti Valentini. Fbr. 15

1410. rex Wladislaus Polonie in campo qui dicitur Grinwalth in terra Pruthinorum, quod situm est

prope civitatem Danbrowno cum suis exercitibus intrans potenter terram predictorum in die sancto-
Iul. 15. rum divisionis apostolorum prostravit centum sexaginta milia virorum armatorum et septingentos quindecim viros prostravit certo per ipsos approbata. Item eisdem temporibus idem rex cum suo exercitu ultra progrediens expugnavit et lucratus est quadraginta sex fortalicia videlicet et castra ipsorum meliora et eminenciora, videlicet Thorun, Gdansk, Helbink, Strosbark alias Brodnicza, Grudzandz, Olanth, Dirzgov, civitatem Mariembark, Neschawa et de aliis ulterius subticemus.

1417. magna clades oritur in terra Polonie quod unum corethum siliginis pensatur per 12 grossos et citra, triticum vero per 8 scotis.

1419. demum fertilitas magna fuit in regno Polonie circa terram Sandomirie et Lubliensem ita quod unum coretum erat per sex denarios et per 8.

Anno 1415. annus pluvinosus in terris Polonie et Russie extiterat ita quod fruges terre minime metere potuerunt, quod per agros culturinos aqua ad instar paludinis per pluvias nimias continebatur et cet. In Sczitelko ......

NOTAE LUBLINENSES EX CODICE 3.

Anno Domini 1456, tempore regis Kazymiri, regis Polonie, fratres sancti Francisci, ordinis fratrum de vera observancia, receperunt locum et claustrum in Lublyn extra muros. Dominus Kyerstan et Kunynoga consules civitatis predicte dederunt ortos suos fratribus pro ecclesia construenda et claustro. A principio fundationis sue fratres habuerunt ecclesiam inter robora quercina muratam. Tunc illo tempore nullus secularis homo fuit in claustro et nullus

equus nec currus, et fratres in illa antiqua ecclesia fuerunt devotissimi, silenciosissimi, caritatissimi, exemplarissimi. Postquam mortuus est civis cognomine Quanta procurator fratrum, legavit fratribus fornacem laterum et calcis. Tunc Gabriel Svyrkoth pro tunc in Lublyn existens cepit frangere chorum antiquum et construere mutatum chorum. Tempore isto primo fuit apertum claustrum in Lublyn, tunc in claustro idem Svyrkoth intra refectorium et intra antiquam infirmiriam fecerat magnam fornacem ad exurendum lateres, sed consules prohiberunt, et illa fornax est tumulata. Nichilominus chorus muro circummurabatur et ille antiquus chorus frangebatur cum magno scandalo, murmuracione licet omni finito, quod choro testudo in choro murata et eodem die quo est finita corruit et cecidit et in nichilum destructa non sine magnis inpensis pecuniarum. Tunc demum in choro predicto secunda testudo est murata cum magnis impensis, que modo adhuc stat etc.

Anno Domini 1487. fractum est corpus ecclesie nostre in robora quercina muratum et inceperunt corpus ecclesie murare cum magnis expensis.

Anno Domini 1495. fratres soli cooperierunt lateribus totum corpus ecclesie.

Anno Domini 1497. inceperunt testudinem edificare et finita est die ....

Anno Domini 1497. edificate sunt membrane celule per fratres solos, per fratrem Iohannem pictorem sacerdotem de Pyzdry, per fratrem Franciscum sacerdotem de Przythyk et fratrem Symeonem de Brzeznycz. Hii tres fideliter membranas laboraverunt.

ANNALES CRACOVIENSES BREVES.

In omnibus codicibus, quibus servata nobis sunt chronica magna illa Boguphali et archidiaconi Gneznensis, invenimus annales varii generis et argumenti, vel medios inter laudata chronica positos vel in fine additos. Quorum naturam veramque formam multi de historia Polonica bene meriti viri eruere conati sunt, quum autem unica eorum, et haec negligentissime confecta, editio Sommersbergiana adhuc exstaret, non potuerunt quin non omnibus numeris absolutam proferrent sententiam. Felici casu contigit, ut Alexander ex comitibus Przezdziecki, Maecenas litterarum Polonicarum, detegeret Romae codicem Ottobonianum, prima vice lucem quandam afferentem. Continet enim iste codex et Boguphalum et eum excipientes annales varios, qui ibi minus mixti et turbati quam in aliis libris manuscriptis exhibentur, nobisque, alio loco de antiquissimis Poloniae fontibus disputaturis, ansam praeoptatam praebebant singula annalium genera seiungendi eorumque apta nostrum in usum vindicandi. Proferemus igitur Annales Cracovienses breves et paulo infra Ephemerides Wladislavienses, relictis annalibus maioris Poloniae, quos quum prius dare proposueramus, nunc futuris temporibus remisimus, quum connexum inter eos et Boguphali chronicon illustrare non possimus, et adhuc ignoretur quaenam harum relationum sit fons alterius.

Annales hoc loco proferendi Cracovienses breves ubivis fere cum Annalibus capituli Cracoviensis consentiunt, quoniam invenire possis locos quibus non ex praememoratis haustos esse, immo vero eos ad commune illud supra memoratum annalium exemplar esse reducendos evincitur. Initium nostrorum praeterea concordat cum annalibus Miechoviensibus.

Codices, qui nobis ad constituendum textum praesto erant, sunt hi:

1) *Ottobonianns N.* 2068. *Chronicon Boguphali annales nostri p.* 159 *et p.* 212 *sequuntur. Ephemerides Wladislavienses p.* 194 *et p.* 195 *sistunt. Est autem codex chartaceus, saeculi XV. initio scriptus, ut ex specimine scripturae Warsaviae apud comitem Alexandrum Przezdziecki inspecto concludere licebat. Praestantissimus codex totus a laudato comite exscriptus est; copiam sibi paratam Augustus Mosbach, Wratislaviensis, mira benevolentia nobis ad edendum commisit.*

2) *Petropolitanus, inter codices bibliothecae imperialis signatus* λ F. Otd. IV. N. 31, *saeculo XV. scriptus continet Boguphali chronicon, primam nostrorum eum sequentium annalium partem, ultimo loco archidiaconi Gneznensis opus. Ipsi eum exscripsimus.*

3) *Pulaviensis. De eo conferas praefationes et ad chronicas Polonorum (M. G. SS. IX,* 422) *et ad Annales Polonorum I—IV (supra p.* 610). *In eo nil nisi prima nostrorum pars legitur. Augustus Bielowski nobis misit totos ex exemplari authentico delineatos.*

4) *Rhedigeranus Wratislaviensis, signatus* S. IV. 4. p. 13. *Ex hoc codice editio Boguphali, annalium et archidiaconi fluxit Sommersbergiana (SS. RR. Sil. II,* 18 *sqq.). Post finem Boguphali leguntur haec:* Incipit Cracovie brevior chronica, *et post pauca de mundi aetatibus verba:* Recapitulatur brevius cronica Polonorum. *Prima pars ibi legitur p.* 79, *secunda p.* 82. *Codice et Wratislaviae et Berolini usi sumus.*

Ordinem annorum in codicibus aliquando turbatum restituere non dubitavimus.

Anno Domini 965. Dubrowka venit ad ducem Mesconem.
966. Meszco baptizatur et fides katholica in Polonia recipitur.
982. sanctus Adalbertus in episcopum Pragensem consecratur. 983. Iun. 29.
990. professio sancti Adalberti cum fratre Gaudencio.
991. sanctus Adalbertus factus est monachus Rome apud Sanctum Alexium.

992. sanctus Adalbertus Gneznam veniens fidem catholicam in Polonia roboravit.
997. sanctus Adalbertus martyrizatus est in Prussia.
1000. 1001. Otto imperator Roma rediens visitat sepulchrum sancti Adalberti in Polonia, et eodem anno Poloni ceperunt
1003. Pragam et ducem Boleslaum in eadem cecaverunt.
1002. Otto imperator obiit.
1003. heremithe in Polonia martirizati sunt.
1018. primus Boleslaus superavit Ruthenos et terram eorum vastavit.
1025. primus Boleslaus rex magnus obiit.
1034. 1030. Meszco rex Polonorum obiit.
1039. 1038. sanctus Adalbertus translatus est.
1059. Aron abbas Tinacensis a sede apostolica postulatus in Cracoviensem episcopum, Rome consecratur.
1061. ordinacio Lamberti in episcopum Cracoviensem qui Sula vocabatur.
1070. Mesco dux obiit.
1071. Lambertus obiit, cui sanctus Stanislaus successit.
1076. 1078. Boleslaus secundus coronatus est, qui occidit sanctum
Dec. 25. Stanislaum.
1079. beatus Stanislaus martirizatus est, cui successit in episcopatum Lambertus, non nisi quarto anno.
1081. rex Boleslaus secundus obiit occisor sancti Stanislai
1082. Lambertus in episcopum Cracoviensem ordinatur.
1086. Mesco dux de Ungaria rediit, et Boleslaus tercius natus est et Iudith mater sua obiit.
1088. sacrum corpus beati Stanislai Lambertus episcopus et canonici Cracovienses transtulerunt ad ecclesiam maiorem cum debita veneracione de Rupella et de ecclesia pro tunc sancti Michaelis.
1088. Mesco dux uxorem duxit.
Iun. 5. 1102. Wladislaus cognominatus Hermannus diem clausit extremum.
1110. 1111. Boleslaus dux Cracoviensis devicit Bohemos et terram eorum vastavit.
1125. Cracow combustum est.
1133. Bohemi vastant Poloniam.
Febr. 9. 1135. Vislicia cede destruitur 5. Idus Februarii.

Continuatio.

1142. Radost obiit, Robertus successit.
1143. Robertus episcopus obiit, cui Matheus episcopus successit.

1147. Conradus imperator Poloniam intravit et cum regibus Ierosolimam pergit.
1166. Gethco in episcopum consecratur.
1170. sanctus Thomas Canturiensis archiepiscopus martirizatus est.
1177. Kazimirus Cracoviam obtinendus intravit.
1182. Kazimirus dux Cracovie vicit Ruthenos.
1184. per Egidium episcopum Muthinensem sanctus Florianus Cracoviam apportatur et per Gethconem episcopum Cracoviensem devotissime suscipitur.
1185. Gethco episcopus obiit, cui Fulco successit.
1186. Lestco dux obiit Kazimirus obtinet ducatum eius.
1187. Fulco ab Urbano papa in episcopum Cracoviensem consecratur.
Item 1194. dux Kazimirus obiit frater ducis Mesconis.
1195. inter Mesconem et filium Kazimiri facta est cedes magna in Mascova, ita quod Mesco vicitur et dux Boleslaus filius suus interficitur.
1196. dux Mesco in Cracovia succedit.
1197. Petrus secundus cardinalis venit in Poloniam qui matrimonium in facie ecclesie instituit contrahi, et sacerdotibus uxoribus habere contradixit.
1202. dux Mesco frater Kazimiri obiit et dux Lestco eiusdem Kazimiri filius in Cracovia succedit.
1205. Romanus fortissimus princeps Ruthenorum, cum exercitibus suis a Lestcone et Conrado fratribus, filiis Kazimiri, in Zavichost interemptus est.
1207. Fulco episcopus Cracoviensis obiit.
1208. Vincencius canonice electus, ab Innocencio papa confirmatus est, et per Henricum archiepiscopum in episcopum Cracoviensem consecratur.
1219. Henricus archiepiscopus obiit.
1221. in Prandnik hospitale de sancto spiritu per Iwonem episcopum cum consensu capituli construitur.
1222. per eundem episcopum ad sanctam Trinitatem ordo Predicatorum, et in Cacicz ordo Cisterciensium statuitur.
Item 1223. Vincencius episcopus obiit et in Morimundo quiescit.
1225. monasterium de Cacicicz transfertur in Mogilam que Clara-Tumba cognominatur, et ibi cenobium fundatur Griseorum.
1227. Lestco dux Cracovie interfectus est in colloquio a filio ducis Odonis sub fraude.

1228. dux Wladislaus Odonis captus est a sene Wladislao in bello.

Item 1229. Iwo episcopus Cracoviensis obiit.

1230. Cracovia combusta est.

1231. consecracio Vislai episcopi Cracoviensis.

Item 1238. Henricus dux Silesie, dictus barbatus et dux Cracovie, obiit, cui Henricus in utroque ducatu successit, filius ipsius; is est Henricus quem Tartari occiderant.

1241. Tartari Cracoviam intrantes ecclesias succendunt et populum infinitum abducunt.

1242. Wislaus episcopus obiit, cui Prandotha successit.

1243. Ruteni per diversos insultus in suburbio Lublin devastant et succendunt.

Item 1247. ecclesia sancti Wenceslai de plumbo tegitur, preter turres que sunt ante Tartaros tecte.

Item 1253. magister Iacobus et magister Nicolaus canonici Cracovienses ad curiam Romanam mittuntur pro canonisacione sancti Stanislai, qui per dominum Innocentium papam est canonisatus; eodem anno nuncii predicti redierunt. Boleslaus dux Crocovie et Wladislaus Opoliensis cum exercitibus suis, eciam Ruthenis, terram Opavie vastaverunt.

1259. Tartari subiugatis Bersabenis, Litwanis, Ruthenis et aliis gentibus, Sandomirz castrum capiunt et multis christianis occisis, alios abducunt. Similiter autem Cracoviam venientes occiderunt plurimos et servitutis compede reliquos, ad sua devehentes, mancipaverunt.

1262. Semovitus dux Mazovie per Litwanos in Iazonsko occupatus occiditur et filius Cunradus capitur.

1265. castrum Crakow edificatur super montem totum cum lignorum structura.

1266. Boleslaus dux Cracovie misit exercitum suum in Russiam et vicit Swarnonem ducem Russie, et terram suam vastavit, et siluit terra in habundancia optate pacis tempore sue vite.

1267. Paulus in episcopum Cracoviensem consecratur.

1268. rex Bohemie Prussiam intrat et christianos non paganos devastat.

1279. Dec. 10. 1278. Boleslaus dux Cracovie, filius Lestconis obiit, qui multis privilegiis et graciis ecclesiam Cracoviensem decoravit, et clero libertatem dedit, et tempore suo magna et bona pax fuit; cui Lestco dux Siradie in Cracoviam successit.

1282. fames horrenda fuit; nam mensura siliginis solvit 13 scotis argenti.
1283. dux Lestco congrediens cum Litwanis in Rowne, devicit eos et plurimos ex eis occidit.

ANNALES MECHOVIENSES.

Qui sequuntur annales ad historiam Polonicam saec. XIV. illustrandam non exigui sunt momenti. Miechoviae scriptos esse statim elucet. Est autem „Miechovia oppidum non ignobile minoris Poloniae, in declivio montis, ad radices circumadiacentium collium situm, quinque parasangis seu milliaribus Polonicis a Cracovia remotum, fertili et ubere solo locatum, perindeque cuiuslibet frumenti et leguminum feracissimum est.“ Quum autem nobilis vir Iaxa Polonus a 1163 *redux Hierosolymis secum apportasset fratres dominici sepulchri Hierosolymitani, eis ad monasterium ordinis sui erigendum multa cum largitate villam suae ditionis Miechoviam tradidit. Quod monasterium saeculis decurrentibus magis magisque crevit et auctum est.*

Liceat autem hoc loco laudare verba Iacobi Vitriaci in cap. 58 *libr. I. historiae suae Orientalis de natura vitaeque conversatione ordinis dominici sepulchri prolata:* Habet Hierosolymitanus patriarcha abbates et priores sibi subiectos, insignia pontificalia, baculos scilicet et mitras, annulos et sandalia ex privilegio dignitatis habentes, domino patriarchae in ministerio reverenter assistentes. Patriarchalis siquidem ecclesia, quae est Domini sepulchri sub monte Calvariae, canonicos habet regulares, secundum habitum et regulam divi Augustini viventes. Habent

autem priorem, ad quem cum praedictis canonicis pertinet eligere patriarcham, qui est eis loco abbatis. *Inde et conventuales Miechovienses subiecti erant patriarchae illi atque ad eum omnes graviores monasterii sui causas afferebant sive iudicandas sive probandas.*

In edendis annalibus Miechoviensibus nobis praesto fuerunt subsidia haec:

1) *Codex bibliothecae imperialis Petropolitanae mbr. in fol. signatus* Λ. F. Otd. I. N. 51. *In fine huius codicis legimus haec:* Explicit liber sermonum de sanctis, nomine Peregrinus, comparatus per fratrem Michaelem praepositum de Wyszegrado, finitus per Clementem Dobeslaum de Pedimino, dyocesis Cuyaviensis 15. Kal. Augusti, quasi hora tercia sub anno Domini 1359. *Annales autem scripti sunt foliis* 136—138, *quae medio in codice ligata non statim apparent evolventi. Scripti sunt autem usque ad annum* 1388 *una eademque manu saec. XIV, pulchra quidem et eleganti, abbreviationes nonnisi usitatas adhibente. Ab anno* 1389 *inde usque ad finem variae manus sese excipiunt. Ideoque ab hoc anno codex noster autographi partes sibi vindicat, quanquam statuerim copiam vel alterum codicis authentici essec eum exemplar. Viro doctissimo Samueli Nakielski certe liber alius erat ad manus. Longum per tempus latuit, prout testantur verba inferiori folii* 70. *margini adscripta haec:* Ego Thomas Guzowski, conventus generalis Miechoviensis vicecustos, bibliothecarius et archivista, electus curator Uniejoviensis, hunc librum inveni inter manuscriptos libros in bibliotheca, in quo reperi acta conventus generalis Miechoviensis, in medio illius, quare statim retuli ad archivium a. 1776 propter posteritatem. *Continet codex quoque vitam S. Adalberti apostoli ac martyris auctore Ioh. Canapario. fol.* 130′ *sqq. Arndtio, quum mense Iunio praecedentis anni de annalibus certior factus esset per Augustum Bielowski, benigne praebuit eos exscribendi occasionem*

v. celsissimus ac doctissimus Bitschkow, bibliothecae imperialis Petropolitanae bibliothecarius superior librorumque manuscriptorum in ea asservatorum custos.

2) *Samuel Nakielski in libro suo:* Miechovia sive Promptuarium antiquitatum monasterii Miechoviensis, Cracoviae a. D. 1634. *edito plerosque annalium nostrorum profert locos ex codice, ut ipse non una vice fatetur, vetusto conventuali manuscripto (cf. p. 256. 262. 267). Quanquam autem non uno in loco suo arbitrio ductus variorum annorum relationes contraxit, tamen varietas lectionum probat, non eundem fuisse codicem suum ac nostrum.*

Ceterum non est tacendum, auctorem primum annalium Miechoviensium exscripsisse annales antiquos Cracovienses, sed plerisque in locis ab Annalibus capituli Cracoviensis supra editis diversos. Anni enim 955 *relationem ad verbum fere similem reperies in annalibus brevibus Cracoviensibus, supra datis.*

Anno Domini 947. invencio sancti Stephani.

Anno Domini 955. Dambrovca ad Mesconem venit de Bohemia, et sequenti anno Mesca dux baptisma suscepit et fides catholica recipitur in Polonia.

Anno Domini 997. sanctus Adalbertus passus est.

Anno Domini 1003. heremite martirizati sunt in Polonia pridie Idus Novembris.

Anno Domini 1072. sanctus Stanislaus successit Lamperto et postea octavo anno videlicet 1079. anno, martirizatus est, vel secundum alios 1089. anno.

Anno Domini 1162. Iaxa ivit Ierosolimam et 1163. fratres dominici sepulchri venerunt Mechoviam cum uno canonico misso a Monacho patriarcha.

1171. sanctus Thomas archiepiscopus Cantuariensis occisus est.

1185. sanctus Florianus apportatus est Cracoviam.

1223. ordo Predicatorum et Hospitanorum venit Cracoviam.

1236. fratres Minores venerunt Cracoviam.

1242. Tartari vastaverunt Poloniam.

1244. dux Conradus victus est in Suchdol.

1254. sanctus Stanislaus elevatus est.

1259. Fulco archiepiscopus Gneznensis obiit, Ianusius succedit. Eodem anno Tartari vastaverunt Cracoviam et Sandomiria capta est. Eodem anno terre motus factus est.

1268. sancta Hedvigis canonizata est.
1279. Lestko dux prostravit multitudinem Tartarorum.
1282. dux Lestko iterum multos de Tartaris cecidit.
1283. Paulus episcopus Cracoviensis captus est.
1285. Lestko habuit conflictum cum militibus.
1287. . . . . . . in Varta submersi sunt. Et eodem anno Tartari vastaverunt Cracoviam.
1289. 1288. dux Lestko obiit. Henricus dux Slesie succedit.
Iun. 23. 1290, Henricus dux Wratislavie obiit et Przemys-
1291. lius successit. Eodem anno rex Bohemie Cracoviam intrat.
A. Pol. I. 1292. obiit Paulus episcopus Cracoviensis, Procopius successit. Eodem anno ecclesia Mechoviensis cremata est in
Mai. 13. rogacionibus *feria tercia*.
1294. 1295. Procopius episcopus Cracoviensis obiit, Iohannes succedit. Eodem anno Litwani perimerunt multos cristianos. Ecclesia Lancziczkiensis cre-
Iun. 10. matur. Kazimirus dux cum exercitu suo occiditur in Sochaczow.
1297. Bolezlaus dux Mazovie vastavit Mechoviam, Adam advocatus Mechoviensis et multi cives occisi sunt.
1300. Cumani dicti vulgariter Cimowe simul cum Ungaris venientes spoliaverunt ecclesiam Mechoviensem.
Iun. 1304. rex Bohemie potenter intrat Ungariam et asportavit secum caput sancti Stephani regis et lanceam et coronam.
Sept. 1. 1306. dux Wladislaus dictus Loctek intrat Cracoviam cum iuvamine cuiusdam Ungari dicti Amadey.
1311. ecclesia Mechoviensis incastellata est per Iohannem filium Budinogii.
1311. 1312. Kazimirus dux Bytomiensis obiit. Eodem anno Boleslaus dux Opoliensis intrat Cracoviam, Wladislaus expellitur.
1313. Boleslaus dux Mazovie obiit. Eodem anno Boleslaus Opolie moritur.
Apr. 25. 1314. Iacobus archiepiscopus Gneznensis obiit,

sedes vacat 4 annis. Eodem anno ecclesia Mechoviensis fratribus restituitur. Dux Vladislaus Poloniam rehabuit.

1316. duces Mazovie fratres inter se pugnant.

1317. Iohannes episcopus Cracoviensis ad sedem suam redit. Pax magna et mortalitas fuit.

1318. Ianislaus archiepiscopus consecratur. Beingne et Begardi delentur. Census sancti Petri mutatur, scilicet denarius de capite, cum prius solverentur tres denarii de familia aut cribrum avene.

1320. Iohannes Muscata episcopus Cracoviensis Febr. 7.
obiit, Nankerus successit.

Anno Domini 1320. dux Vlodislaus coronatur et Ian. 20.
filia eius Elizabeth regi Ungarie maritatur.

1321. fuit magna eclipsis solis feria sexta in Iun. 26.
die Iohannis et Pauli, duravit a mane usque ad sextam horam.

1323. sanctus Thomas de Aquino canonizatur. 1322.

1325. Kazimirus filius Vladislay regis uxorem Oct. 16.
recepit de Litwania. Pax fuit[d] inter Poloniam et Litwaniam.

1331. rex Leslaus habuit bellum cum cruciferis
in die sancti Stanislay ubi prostrata sunt multa milia Sept. 27.
Prussorum et aliorum.

1333. obiit rex Vladislaus et Kazimirus filius eius Mart. 2.
coronatur.

1333. die Iohannis ante portam Latinam magna Mai. 6.
nix cecidit et ros super gramen versus est in glaciem.

1338. fertilitas magna in Polonia fuit, chorus siliginis 4 denarios, farina per octo. Eodem anno fuit destruccio solis, feria 4. post Petrum, hora vespertina.

1344. cepimus construere domum lapideam Cracovie ex oposito fratrum Predicatorum et piscinam iuxta Mechoviam. Et in fine eiusdem anni in die
beati Stephani crematum est molendinum nostrum Dec. 26.
vicinum domui. Sequenti anno super festum 1345. Iun. 24.

beati Iohannis cremata est domus et duo fratres, et tercius vix evasit.

1345. 1346. rex Bohemie Iohannes cecus venit ad Cra-
Iul. 12. coviam et omnes villas nostras et civitatem Mecho-
Oct. 31. viensem cremavit, et abscessit. Eodem anno 2. Kalendas Novembris reconciliata est ecclesia nostra cum cimiterio per Iohannem episcopum Cracoviensem in honore sancti sepulcri et sancte Marie.

1345. frater Henricus Bohemus visitator intromiserat se de prepositura Mechoviensi, sed appellatione ab eo facta recessit et domum Nisnensem spoliavit.

Mart. 7. 1347. feria quarta post dominicam Oculi domus Mechoviensis vix consumata per ventum deiecta et
Mai. 27. contrita fuit. Eodem anno intra octavam corpo-
—Iun. 2. ris Christi alia domus in eodem loco constructa per ventum similiter est conminuta et eodem anno tercia domus in eodem loco reparatur de fragmentis, set aliis deterior.

1346. 1347. rex Francie et rex Bohemie cum auxilio
Aug. 26. domni pape habuerunt conflictum cum Bavaro imperatore, auxilium sibi prestante rege Anglie, et victus est rex Francie, et rex Bohemie Iohannes cecus occiditur, et multi principes, comites, episcopi, abates et innumerabilis multitudo in eodem prelio ceciderunt. Eodem anno Frisones perimerunt infinitos Francigenas et pape cognatos. Item obitus episcopi Cracoviensis.

1348. domus Nyssnensis cum aliis ab obedientia domus Mechoviensis sequestrata est. Eodem anno
Febr. 2. cruciferi occiderunt multitudinem Litwanorum in purificatione sancte Marie. Eodem anno secundo
Ian. 31. Kal. Februarii altaria in ecclesia Mechoviensi consecrata sunt per quendam episcopum de ordine Predicatorum, summum in honore sancti sepulchri dominici, alterum in honore sancti Iacobi apostoli, tercium sancti Nicolay, quartum in sacristia sancte Ka-

therine. Eodem anno, scilicet 1348. in conversione sancti Pauli, fuit terre motus magnus, quod Ian. 25. Villacum subvertitur, multa castra ceciderunt, ecclesie, monasteria, turres in multis locis cum hominibus et iumentis perierunt. Eodem eciam anno in Avinione tanta mortalitas fuit quod una die numerata sunt 1500 funera, set cottidie 200 plus vel minus, cimiteria omnia repleta, unus campus consecratus et in eo multe fovee magne replete, multe domus deserte, ubi unus moritur omnes moriuntur postipsum, nulli quantumcunque diviti missa cantabatur, defunctorum campane non pulsabantur, corpus Christi oculte portabatur per civitatem, conventus religiosorum rarefacti, ubi centum steterant vix decem remanserunt, alia multa inaudita contigerunt.

Anno Domini 1349. nunccii Thartarorum venerunt ad regem Polonie. Eodem anno mortalitas magna fuit in regno Ungarie, multe civitates et ville deserte habitatoribus vacuate, unde multe turme hominum tam de Ungaria quam de aliis partibus adiuncti circuibant flagellantes se, in lutum cadentes, magnam conpunccionem et penitenciam aliis indixerunt, virgines eciam parwe et magne de villis sparsis crinibus in modum processionis tamquam vesane discurrebant, verberantes se, et pernoctabant in silvis ad quendam Gregorium quem pro sancto colebant, set deluse a dyabolo plures ex eis perierunt. Et in fine eiusdem anni rex Kazimirus terram Russie obtinuit.

1350. circa festum beati Bartholomey Littwani Aug. 24. vastaverunt Russiam, multos deduxerunt, plures occiderunt.

1351. rex Kazimirus cum magna potencia processerat Livoniam, set infirmatus rediit, parum profecit.

1352. Thartari vastaverunt terram Lublinensem, multos deduxerunt christianos et occiderunt.

Mai. 13. 1353. in festo penthecostes nix magna cecidit, quod trahebantur ligna in vehiculis,nec fuit circuitus cum processione. Eodem anno post festum
Mai. 20. Trinitatis Litwani vastaverunt Lamburg, multos occiderunt.

1360. talis fuit in tota christianitate et maxime in regno Polonie, regnante rege Kazimiro mortalitas, quod vix tercia pars christianitatis remanserat et maxime in Cracovia. Que mortalitas imputabatur Iudeis per intoxicacionem, qui tunc temporis Cracovie et alias cremabantur. Eodem anno rex Kazimirus intromiserat se de prepositura Mechoviensi et constituerat secularem procuratorem Strzesonem de Pstrossicze, qui multa tedia fratribus generavit.

Nov. 5. 1370. obiit Kazimirus rex Polonie die Martis post diem omnium sanctorum mense Novembris. Eodem anno statim post ipsius obitum restitutum est nostrum monasterium Mechoviense ad fratres per concilium nobilium et baronum regni in civitate Cracoviensi.

Iul. 6. 1371. dominica die in octava appostolorum Petri et Pauli per domnum patriarcham Ierusolimitanum Czcico in preposituram confirmatus Mechoviensem, eodem die frater Stanislaus Stoyconis ad ordinem susceptus.

1377. regnante rege Lodovico Ungarie in Polonia cum matre sua Elizabeth regina, domus Cracoviensis sancte Elyzabeth, sita inter Cracoviam et Kazimiriam in ripa Visle fluvii data est per dictum regem et dictam reginam ipsius matrem monasterio nostro Mechoviensi, cuius domus primus fuit prepositus frater Marcissius plebanus de Sidlow et viceprocurator Visliciensis regis Kazmiri, qui frater super murum, ut sibi hoc est per regem datum, chorum ecclesie texit et alia edificia in quantum valuit cum impensis de domo Mechoviensi instau-

ravit, et ibidem dictus frater Marcissius cum sua matre nobili de Swevoronicze corporaliter requiescit.

1379. siccitas erat estatis magna nimis ipso anno, mensura siliginis solvebat mediam sexagenam grossorum. Eodem anno feria secunda ante pen- Mai. 23.
thecosten una ebdomada ecclesia campanile cum bonis campanis et dormitorium, stuba fratrum, multa edificia in monasterio, media pars civitatis cremata fuit, qui ignis civitate ardente in campanile veniens ipsam succendit. Eodem anno civitas Radomske tota, eciam ecclesia et alie civitates cremaverunt. Eodem anno in regno Polonie et alias tempore autumpni magna ingruit pestilencia, in qua cives plures Mechovienses obierunt.

1377. Czczicus prepositus organa in choro ordinavit. Eodem eciam anno nova legenda matutinalis fuerat comparata.

Anno Domini 1384. per domnum patriarcham Ierusolimitanum tempore quadragesimali domnus doctor Stanislaus Stoyconis in prepositura Mechoviensi confirmatus. Eodem anno in dominica Iubi- Mai. 1.
late frater Michael de Radomske ad ordinem susceptus.

Anno Domini 1385. prenarratus Mechoviensis prepositus Stanislaus decretorum doctor, frater religiosus, inchoavit murare domum refectorii a fundamento ad summum, a campanili transiens muro curiam totam circumduxit.

Anno 1387. villas Pstrossicze et Brzuchanam in provisionem fratrum conventualium preparavit.

1388. orologium et duo ceroferaria seu candelabra stannea pro ecclesia Mechoviensi ordinata.

1386. rex Vladislaus Polonie cum duobus uterinis fratribus et aliis multis principibus et boyaris Litwanie veniens Cracoviam fidem christianam suscepit, dominica Esto mihi baptizatur, coronatur in regnum Polonie, Hedvigis filia Lodovici regis Un-

1228. dux Wladislaus Odonis captus est a sene Wladislao in bello.
Item 1229. Iwo episcopus Cracoviensis obiit.
1230. Cracovia combusta est.
1231. consecracio Vislai episcopi Cracoviensis.
Item 1238. Henricus dux Silesie, dictus barbatus et dux Cracovie, obiit, cui Henricus in utroque ducatu successit, filius ipsius; is est Henricus quem Tartari occiderant.
1241. Tartari Cracoviam intrantes ecclesias succendunt et populum infinitum abducunt.
1242. Wislaus episcopus obiit, cui Prandotha successit.
1243. Ruteni per diversos insultus in suburbio Lublin devastant et succendunt.
Item 1247. ecclesia sancti Wenceslai de plumbo tegitur, preter turres que sunt ante Tartaros tecte.
Item 1253. magister Iacobus et magister Nicolaus canonici Cracovienses ad curiam Romanam mittuntur pro canonisacione sancti Stanislai, qui per dominum Innocentium papam est canonisatus; eodem anno nuncii predicti redierunt. Boleslaus dux Crocovie et Wladislaus Opoliensis cum exercitibus suis, eciam Ruthenis, terram Opavie vastaverunt.
1259. Tartari subiugatis Bersabenis, Litwanis, Ruthenis et aliis gentibus, Sandomirz castrum capiunt et multis christianis occisis, alios abducunt. Similiter autem Cracoviam venientes occiderunt plurimos et servitutis compede reliquos, ad sua devehentes, mancipaverunt.
1262. Semovitus dux Mazovie per Litwanos in Iazonsko occupatus occiditur et filius Cunradus capitur.
1265. castrum Crakow edificatur super montem totum cum lignorum structura.
1266. Boleslaus dux Cracovie misit exercitum suum in Russiam et vicit Swarnonem ducem Russie, et terram suam vastavit, et siluit terra in habundancia optate pacis tempore sue vite.
1267. Paulus in episcopum Cracoviensem consecratur.
1268. rex Bohemie Prussiam intrat et christianos non paganos devastat.
1279. Dec. 10. 1278. Boleslaus dux Cracovie, filius Lestconis obiit, qui multis privilegiis et graciis ecclesiam Cracoviensem decoravit, et clero libertatem dedit, et tempore suo magna et bona pax fuit; cui Lestco dux Siradie in Cracoviam successit.

1282. fames horrenda fuit; nam mensura siliginis solvit 13 scotis argenti.
1283. dux Lestco congrediens cum Litwanis in Rowne, devicit eos et plurimos ex eis occidit.

ANNALES MECHOVIENSES.

Qui sequuntur annales ad historiam Polonicam saec. XIV. illustrandam non exigui sunt momenti. Miechoviae scriptos esse statim elucet. Est autem „Miechovia oppidum non ignobile minoris Poloniae, in declivio montis, ad radices circumadiacentium collium situm, quinque parasangis seu milliaribus Polonicis a Cracovia remotum, fertili et ubere solo locatum, perindeque cuiuslibet frumenti et leguminum feracissimum est.“ Quum autem nobilis vir Iaxa Polonus a 1163 *redux Hierosolymis secum apportasset fratres dominici sepulchri Hierosolymitani, eis ad monasterium ordinis sui erigendum multa cum largitate villam suae ditionis Miechoviam tradidit. Quod monasterium saeculis decurrentibus magis magisque crevit et auctum est.*

Liceat autem hoc loco laudare verba Iacobi Vitriaci in cap. 58 *libr. I. historiae suae Orientalis de natura vitaeque conversatione ordinis dominici sepulchri prolata:* Habet Hierosolymitanus patriarcha abbates et priores sibi subiectos, insignia pontificalia, baculos scilicet et mitras, annulos et sandalia ex privilegio dignitatis habentes, domino patriarchae in ministerio reverenter assistentes. Patriarchalis siquidem ecclesia, quae est Domini sepulchri sub monte Calvariae, canonicos habet regulares, secundum habitum et regulam divi Augustini viventes. Habent

autem priorem, ad quem cum praedictis canonicis pertinet eligere patriarcham, qui est eis loco abbatis. *Inde et conventuales Miechovienses subiecti erant patriarchae illi atque ad eum omnes graviores monasterii sui causas afferebant sive iudicandas sive probandas.*

In edendis annalibus Miechoviensibus nobis praesto fuerunt subsidia haec:

1) *Codex bibliothecae imperialis Petropolitanae mbr. in fol. signatus* Λ. F. Otd. I. N. 51. *In fine huius codicis legimus haec:* Explicit liber sermonum de sanctis, nomine Peregrinus, comparatus per fratrem Michaelem praepositum de Wyszegrado, finitus per Clementem Dobeslaum de Pedimino, dyocesis Cuyaviensis 15. Kal. Augusti, quasi hora tercia sub anno Domini 1359. *Annales autem scripti sunt foliis* 136—138, *quae medio in codice ligata non statim apparent evolventi. Scripti sunt autem usque ad annum* 1388 *una eademque manu saec. XIV, pulchra quidem et eleganti, abbreviationes nonnisi usitatas adhibente. Ab anno* 1389 *inde usque ad finem variae manus sese excipiunt. Ideoque ab hoc anno codex noster autographi partes sibi vindicat, quanquam statuerim copiam vel alterum codicis authentici essec eum exemplar. Viro doctissimo Samueli Nakielski certe liber alius erat ad manus. Longum per tempus latuit, prout testantur verba inferiori folii* 70. *margini adscripta haec:* Ego Thomas Guzowski, conventus generalis Miechoviensis vicecustos, bibliothecarius et archivista, electus curator Uniejoviensis, hunc librum inveni inter manuscriptos libros in bibliotheca, in quo reperi acta conventus generalis Miechoviensis, in medio illius, quare statim retuli ad archivium a. 1776 propter posteritatem. *Continet codex quoque vitam S. Adalberti apostoli ac martyris auctore Ioh. Canapario. fol.* 130′ *sqq. Arndtio, quum mense Iunio praecedentis anni de annalibus certior factus esset per Augustum Bielowski, benigne praebuit eos exscribendi occasionem*

v. celsissimus ac doctissimus Bitschkow, bibliothecae imperialis Petropolitanae bibliothecarius superior librorumque manuscriptorum in ea asservatorum custos.

2) *Samuel Nakielski in libro suo:* Miechovia sive Promptuarium antiquitatum monasterii Miechoviensis, Cracoviae a. D. 1634. *edito plerosque annalium nostrorum profert locos ex codice, ut ipse non una vice fatetur, vetusto conventuali manuscripto (cf. p. 256. 262. 267). Quanquam autem non uno in loco suo arbitrio ductus variorum annorum relationes contraxit, tamen varietas lectionum probat, non eundem fuisse codicem suum ac nostrum.*

Ceterum non est tacendum, auctorem primum annalium Miechoviensium exscripsisse annales antiquos Cracovienses, sed plerisque in locis ab Annalibus capituli Cracoviensis supra editis diversos. Anni enim 955 *relationem ad verbum fere similem reperies in annalibus brevibus Cracoviensibus, supra datis.*

Anno Domini 947. invencio sancti Stephani.

Anno Domini 955. Dambrovca ad Mesconem venit de Bohemia, et sequenti anno Mesca dux baptisma suscepit et fides catholica recipitur in Polonia.

Anno Domini 997. sanctus Adalbertus passus est.

Anno Domini 1003. heremite martirizati sunt in Polonia pridie Idus Novembris.

Anno Domini 1072. sanctus Stanislaus successit Lamperto et postea octavo anno videlicet 1079. anno, martirizatus est, vel secundum alios 1089. anno.

Anno Domini 1162. Iaxa ivit Ierosolimam et 1163. fratres dominici sepulchri venerunt Mechoviam cum uno canonico misso a Monacho patriarcha.

1171. sanctus Thomas archiepiscopus Cantuariensis occisus est.

1185. sanctus Florianus apportatus est Cracoviam.

1223. ordo Predicatorum et Hospitanorum venit Cracoviam.

1236. fratres Minores venerunt Cracoviam.

1242. Tartari vastaverunt Poloniam.

1244. dux Conradus victus est in Suchdol.

1254. sanctus Stanislaus elevatus est.

1259. Fulco archiepiscopus Gneznensis obiit, Ianusius succedit. Eodem anno Tartari vastaverunt Cracoviam et Sandomiria capta est. Eodem anno terre motus factus est.

1268. sancta Hedvigis canonizata est.
1279. Lestko dux prostravit multitudinem Tartarorum.

1282. dux Lestko iterum multos de Tartaris cecidit.

1283. Paulus episcopus Cracoviensis captus est.
1285. Lestko habuit conflictum cum militibus.

1287. . . . . . . in Varta submersi sunt. Et eodem anno Tartari vastaverunt Cracoviam.

1289. 1288. dux Lestko obiit. Henricus dux Slesie succedit.

Iun. 23. 1290, Henricus dux Wratislavie obiit et Przemys-
1291. lius successit. Eodem anno rex Bohemie Cracoviam intrat.

A. Pol. I. 1292. obiit Paulus episcopus Cracoviensis, Procopius successit. Eodem anno ecclesia Mechoviensis cremata est in
Mai. 13. rogacionibus *feria tercia.*

1294. 1295. Procopius episcopus Cracoviensis obiit, Iohannes succedit. Eodem anno Litwani perimerunt multos cristianos. Ecclesia Lanczicziensis cre-
Iun. 10. matur. Kazimirus dux cum exercitu suo occiditur in Sochaczow.

1297. Bolezlaus dux Mazovie vastavit Mechoviam, Adam advocatus Mechoviensis et multi cives occisi sunt.

1300. Cumani dicti vulgariter Cimowe simul cum Ungaris venientes spoliaverunt ecclesiam Mechoviensem.

Iun. 1304. rex Bohemie potenter intrat Ungariam et asportavit secum caput sancti Stephani regis et lanceam et coronam.

Sept. 1. 1306. dux Wladislaus dictus Loctek intrat Cracoviam cum iuvamine cuiusdam Ungari dicti Amadey.

1311. ecclesia Mechoviensis incastellata est per Iohannem filium Budinogii.

1311. 1312. Kazimirus dux Bytomiensis obiit. Eodem anno Boleslaus dux Opoliensis intrat Cracoviam, Wladislaus expellitur.

1313. Boleslaus dux Mazovie obiit. Eodem anno Boleslaus Opolie moritur.

Apr. 25. 1314. Iacobus archiepiscopus Gneznensis obiit,

sedes vacat 4 annis. Eodem anno ecclesia Mechoviensis fratribus restituitur. Dux Vladislaus Poloniam rehabuit.

1316. duces Mazovie fratres inter se pugnant.

1317. Iohannes episcopus Cracoviensis ad sedem suam redit. Pax magna et mortalitas fuit.

1318. Ianislaus archiepiscopus consecratur. Beingne et Begardi delentur. Census sancti Petri mutatur, scilicet denarius de capite, cum prius solverentur tres denarii de familia aut cribrum avene.

1320. Iohannes Muscata episcopus Cracoviensis Febr. 7.
obiit, Nankerus successit.

Anno Domini 1320. dux Vlodislaus coronatur et Ian. 20.
filia eius Elizabeth regi Ungarie maritatur.

1321. fuit magna eclipsis solis feria sexta in Iun. 26.
die Iohannis et Pauli, duravit a mane usque ad sextam horam.

1323. sanctus Thomas de Aquino canonizatur. 1322.

1325. Kazimirus filius Vladislay regis uxorem Oct. 16.
recepit de Litwania. Pax fuit[d] inter Poloniam et Litwaniam.

1331. rex Leslaus habuit bellum cum cruciferis
in die sancti Stanislay ubi prostrata sunt multa milia Sept. 27.
Prussorum et aliorum.

1333. obiit rex Vladislaus et Kazimirus filius eius Mart. 2.
coronatur.

1333. die Iohannis ante portam Latinam magna Mai. 6.
nix cecidit et ros super gramen versus est in glaciem.

1338. fertilitas magna in Polonia fuit, chorus siliginis 4 denarios, farina per octo. Eodem anno fuit destruccio solis, feria 4. post Petrum, hora vespertina.

1344. cepimus construere domum lapideam Cracovie ex oposito fratrum Predicatorum et piscinam iuxta Mechoviam. Et in fine eiusdem anni in die
beati Stephani crematum est molendinum nostrum Dec. 26.
vicinum domui. Sequenti anno super festum 1345. Iun. 24.

beati Iohannis cremata est domus et duo fratres, et
tercius vix evasit.
1345. 1346. rex Bohemie Iohannes cecus venit ad Cra-
Iul. 12. coviam et omnes villas nostras et civitatem Mecho-
Oct. 31. viensem cremavit, et abscessit. Eodem anno 2.
Kalendas Novembris reconciliata est ecclesia no-
stra cum cimiterio per Iohannem episcopum Craco-
viensem in honore sancti sepulcri et sancte Marie.

1345. frater Henricus Bohemus visitator intro-
miserat se de prepositura Mechoviensi, sed appel-
latione ab eo facta recessit et domum Nisnensem
spoliavit.

Mart. 7. 1347. feria quarta post dominicam Oculi domus
Mechoviensis vix consumata per ventum deiecta et
Mai. 27. contrita fuit. Eodem anno intra octavam corpo-
—Iun. 2. ris Christi alia domus in eodem loco constructa per
ventum similiter est conminuta et eodem anno ter-
cia domus in eodem loco reparatur de fragmentis,
set aliis deterior.

1346. 1347. rex Francie et rex Bohemie cum auxilio
Aug. 26. domni pape habuerunt conflictum cum Bavaro im-
peratore, auxilium sibi prestante rege Anglie, et
victus est rex Francie, et rex Bohemie Iohannes
cecus occiditur, et multi principes, comites, episcopi,
abates et innumerabilis multitudo in eodem prelio
ceciderunt. Eodem anno Frisones perimerunt in-
finitos Francigenas et pape cognatos. Item obitus
episcopi Cracoviensis.

1348. domus Nyssnensis cum aliis ab obedientia
domus Mechoviensis sequestrata est. Eodem anno
Febr. 2. cruciferi occiderunt multitudinem Litwanorum in pu-
rificatione sancte Marie. Eodem anno secundo
Ian. 31. Kal. Februarii altaria in ecclesia Mechoviensi con-
secrata sunt per quendam episcopum de ordine Pre-
dicatorum, summum in honore sancti sepulchri do-
minici, alterum in honore sancti Iacobi apostoli, ter-
cium sancti Nicolay, quartum in sacristia sancte Ka-

therine. Eodem anno, scilicet 1348. in conversione sancti Pauli, fuit terre motus magnus, quod Ian. 25.
Villacum subvertitur, multa castra ceciderunt, ecclesie, monasteria, turres in multis locis cum hominibus et iumentis perierunt. Eodem eciam anno in Avinione tanta mortalitas fuit quod una die numerata sunt 1500 funera, set cottidie 200 plus vel minus, cimiteria omnia repleta, unus campus consecratus et in eo multe fovee magne replete, multe domus deserte, ubi unus moritur omnes moriuntur postipsum, nulli quantumcunque diviti missa cantabatur, defunctorum campane non pulsabantur, corpus Christi oculte portabatur per civitatem, conventus religiosorum rarefacti, ubi centum steterant vix decem remanserunt, alia multa inaudita contigerunt.

Anno Domini 1349. nunccii Thartarorum venerunt ad regem Polonie. Eodem anno mortalitas magna fuit in regno Ungarie, multe civitates et ville deserte habitatoribus vacuate, unde multe turme hominum tam de Ungaria quam de aliis partibus adiuncti circuibant flagellantes se, in lutum cadentes, magnam conpunccionem et penitenciam aliis indixerunt, virgines eciam parwe et magne de villis sparsis crinibus in modum processionis tamquam vesane discurrebant, verberantes se, et pernoctabant in silvis ad quendam Gregorium quem pro sancto colebant, set deluse a dyabolo plures ex eis perierunt. Et in fine eiusdem anni rex Kazimirus terram Russie obtinuit.

1350. circa festum beati Bartholomey Littwani Aug. 24.
vastaverunt Russiam, multos deduxerunt, plures occiderunt.

1351. rex Kazimirus cum magna potencia processerat Livoniam, set infirmatus rediit, parum profecit.

1352. Thartari vastaverunt terram Lublinensem, multos deduxerunt christianos et occiderunt.

Mai. 13. 1353. in festo penthecostes nix magna cecidit, quod trahebantur ligna in vehiculis, nec fuit circuitus cum processione. Eodem anno post festum
Mai. 20. Trinitatis Litwani vastaverunt Lamburg, multos occiderunt.

1360. talis fuit in tota christianitate et maxime in regno Polonie, regnante rege Kazimiro mortalitas, quod vix tercia pars christianitatis remanserat et maxime in Cracovia. Que mortalitas imputabatur Iudeis per intoxicacionem, qui tunc temporis Cracovie et alias cremabantur. Eodem anno rex Kazimirus intromiserat se de prepositura Mechoviensi et constituerat secularem procuratorem Strzesonem de Pstrossicze, qui multa tedia fratribus generavit.

Nov. 5. 1370. obiit Kazimirus rex Polonie die Martis post diem omnium sanctorum mense Novembris. Eodem anno statim post ipsius obitum restitutum est nostrum monasterium Mechoviense ad fratres per concilium nobilium et baronum regni in civitate Craccoviensi.

Iul. 6. 1371. dominica die in octava appostolorum Petri et Pauli per domnum patriarcham Ierusolimitanum Czcico in prepossituram confirmatus Mechoviensem, eodem die frater Stanislaus Stoyconis ad ordinem susceptus.

1377. regnante rege Lodovico Ungarie in Polonia cum matre sua Elizabeth regina, domus Cracoviensis sancte Elyzabeth, sita inter Cracoviam et Kazimiriam in ripa Visle fluvii data est per dictum regem et dictam reginam ipsius matrem monasterio nostro Mechoviensi, cuius domus primus fuit prepositus frater Marcissius plebanus de Sidlow et viceprocurator Visliciensis regis Kazmiri, qui frater super murum, ut sibi hoc est per regem datum, chorum ecclesie texit et alia edificia in quantum valuit cum impensis de domo Mechoviensi instau-

ravit, et ibidem dictus frater Marcissius cum sua matre nobili de Swevoronicze corporaliter requiescit.

1379. siccitas erat estatis magna nimis ipso anno, mensura siliginis solvebat mediam sexagenam grossorum. Eodem anno feria secunda ante pen- Mai. 23.
thecosten una ebdomada ecclesia campanile cum bonis campanis et dormitorium, stuba fratrum, multa edificia in monasterio, media pars civitatis cremata fuit, qui ignis civitate ardente in campanile veniens ipsam succendit. Eodem anno civitas Radomske tota, eciam ecclesia et alie civitates cremaverunt. Eodem anno in regno Polonie et alias tempore autumpni magna ingruit pestilencia, in qua cives plures Mechovienses obierunt.

1377. Czczicus prepositus organa in choro ordinavit. Eodem eciam anno nova legenda matutinalis fuerat comparata.

Anno Domini 1384. per domnum patriarcham Ierusolimitanum tempore quadragesimali domnus doctor Stanislaus Stoyconis in prepositura Mechoviensi confirmatus. Eodem anno in dominica Iubi- Mai. 1.
late frater Michael de Radomske ad ordinem susceptus.

Anno Domini 1385. prenarratus Mechoviensis prepositus Stanislaus decretorum doctor, frater religiosus, inchoavit murare domum refectorii a fundamento ad summum, a campanili transiens muro curiam totam circumduxit.

Anno 1387. villas Pstrossicze et Brzuchanam in provisionem fratrum conventualium preparavit.

1388. orologium et duo ceroferaria seu candelabra stannea pro ecclesia Mechoviensi ordinata.

1386. rex Vladislaus Polonie cum duobus uterinis fratribus et aliis multis principibus et boyaris Litwanie veniens Cracoviam fidem christianam suscepit, dominica Esto mihi baptizatur, coronatur in regnum Polonie, Hedvigis filia Lodovici regis Un-

garie sibi in uxorem datur, zelator maximus fidei christiane, Cracovie studium renovavit generale.

Dec. 26. 1388. sabato in crastino nativitatis Domini obiit Bodzotha archiepiscopus Gneznensis.

Anno Domini 1389. venerabilis vir domnus Stanislaus, decretorum doctor, prepositus Mechoviensis, ordinavit et procuravit domum magnam videlicet stubam, estivale palacium et fratrum commune dormitorium circa templum situm tegere latericio tecto, quod tectum latericeum erat finitum et consumatum per manus cuiusdam muratoris nomine Ni-
Aug. 9. colay nacione de Prussia, in vigilia beati Laurencii.

Mai. 12. Anno Domini 1394, 12. die mensis May post festum sancti Stanislai feria tercia in die sanctorum Nerey et Achilley martirum gloriosorum per wenerabilem ac religiosum virum domnum Stanislaum decretorum doctorem, prepositum Mechoviensem, ruppta est antiqua ecclesia que ruinam minabatur et effusum fundamentum et lapis primarius inpositus et proficiebatur de die in diem, continue laborando.

Iul. 5. Anno Domini 1394. in crastino sancti Procopii infra octavas Petri et Pauli apostolorum gloriosorum, Stanislaus decretorum doctor, prepositus monasterii Mechoviensis, die dominica venit in Przeworsko et acceptavit domum sive ecclesiam ibidem, per reverendum patrem domnum Mathiam episcopum Przmislensem fundatam et nobilem virum domnum Iohannem de Tharnow palatinum Sandomiriensem et capitaneum Russie dotatam et fratrem Bartholomeum Masovitam pro preposito ibidem primo per eundem episcopum confirmatum et fratrem Kristanum subiungendo dimisit.

Sub anno nativitatis eiusdem 1395. wenerabilis vir frater Stanislaus Stoyconis nacione de Kszosz doctor decretorum, prepositus Mechoviensis mona-
Ian. 28. sterii, obiit feria quinta in octava sancte Agnetis

virginis, cuius corpus in nomine Ihesu Cristi ante summum altare in medio chori requiescit. Qui quidem venerabilis vir frater Stanislaus felicis recordacionis prepositus memoratus memorate prepositure annis 12 prefuit, vita et moribus plurimum coruscans, in quibus annis 12 multa bona monasterio Mechoviensi fecit et fere pro duobus milibus marcarum et forte ultra in hereditatibus cum magna instancia ac diligencia comparavit. Villas Pscrosycze et Bruchanam et Hugowycze ad domum Cracoviensem adversis militibus coemit et comparavit, qui milites de Pscrosicze et Bruchana varia obprobria ac preiudicia ponderosa in bonis monasterii nichilominus ac per omnia faciebant. Item scoltecias in Scarzeszewo, in Sczepanowicze, in Smrokow, in Falnow emit et comparavit. Item villam dictam Wolicza prope Oludzam emit. Item laneos hic in civitate Mechoviensi liberos a censu et decimis et in aliis villis monasterii predicti agros liberos comparavit. Monasterium muro circumduxit, refectorium fratrum cum cellis ordinavit, templum murare incepit et ex tunc in brevi morti tributum persolvit, allodia in laboribus optime reformavit, libros diversos sacrorum canonum et theologie comparavit, in verbo Dei fideliter laboravit, in sancta matre ecclesia et specialiter in privilegio morum et virtutum cacumine sicut lilium inter spinas odorem exempli boni spirans claruit perseveranter. Post quem quidem prenominatum prepositum eodem anno frater Michael de Radomske custos predicti monasterii octo annorum in preposituram dicti monasterii successit per electionem canonice factam, qui opitulante Omnipotente dictam ecclesiam nitu et laboribus sedulis, prout licuit, ardenter continuavit, unde meritis dicti domni prepositi defuncti exigentibus hortatur fratrum communitas et omnium hic legencium presencia quot intuitu sui

regularis regiminis ipsius diem anniversarium quolibet anno in missis, vigiliarum cantibus et devotis orationibus ac solempnitate exequiarum ad memoriam reducatur ut pro hiis premissis centuplum et vitam eternam accipere mereatur.

Anno Domini 1395. frater Michael nacione de Radomske pro tunc custos monasterii Mechoviensis in prepositum est electus et vacante sede patriarchali per sedem apostolicam fuit confirmatus.

1396. idem domnus Michael prepositus pro villa Wrocuziz domno Iohanni fratri nostri ordinis pro tunc episcopo Lubucensi exsolvit 600 marcas.

1397. idem frater Michael maiorem domum muratam ab intra in multum reformavit, videlicet stubam refectorii, palacium ante stubam, hallam ante palacium, infirmariam, librariam, conclavum novum et pavimenta murata in predictis omnibus edificiis ordinavit, templum, turrem, murum edificavit.

1398. idem prepositus Michael de eclesia in villa nostra Uneyow fratri Pribislao providit ad quam fuit per episcopum Petrum dictum Wyss investitus, vigore bulle seu gracie apostolice per domnum Bonifacium renovate.

1399. ipse prepositus Michael scolteciam in nostra villa Michalovicze comparavit pro 440 marcis grossorum. Item eodem anno scoltecia in nostra Kalyna emit pro centum marcis grossorum. In Brzuchana comparavit pro 100 marcis de hereditate et in Pscrossicze pro quinquaginta. Item allodium in Smrocow et alios ibidem laneos liberos venditos sub eodem tempore in 130 marcis liberavit.

1399. ipse domnus Michael prepositus fratri Helye providit de ecclesia in Uneyow post cessionem fratris Pribislay, cui fratri Pribislao fuit provisum Gnezdne de prepositura, similiter per domnum Michaelem eodem anno providit de ecclesia in Wrocznziz nepoti suo Ambrosio. Hoc fuit primo per monasterium provisum eidem plebano.

Anno Domini 1400. Michael prepositus emit pro 170 marcis in Podlesna-Wola scolteciam cum alia parte hereditatis apud Spitkonem et Petrassium, ibidem heredes.

Anno Domini 1399. rex Sygismundus Hungarie restituit nobis Landek domus que erat per suam uxorem Mariam alienata novem annis, sed domnus Michael prepositus difficulter apud regem pro eadem domo laboravit.

Anno Domini 1399. serenissima princeps, domna Hedwigis regina Poloniae obiit in die beati Allexii Iul. 17.
confessoris. Eodem anno Vitoldus princeps Litwanie fecit conflictum magnum cum Tartharis, in quo conflictu interfectus fuit multum strennuus miles domnus Spitko, palatinus Cracoviensis cum aliis multis baronibus ceterisque regni Polonie nobilibus et aliis innumerabilibus de Litwania, Prussia et Francia ad eundem conflictum congregatis.

Anno Domini 1401. rex Sigismundus Ungarie fuit Apr. 28.
a suis regnicolis nobilibus detentus seu captivatus, de qua captivitate fugam dedit. Eodem tempore domnus Procossius, heres de Balicz, ab Ungaris decolatus est in quadam strage facta et alii nobiles Polonie occisi fuerunt et quidam fuerunt in captivitatem recepti.

Anno Domini 1401. domnus Michael prepositus domum lapideam muravit, in qua domo disposuit habitaciones in parte inferiori et superiori, intus fecit habitacionem yemalem et superius palacium et cubiculum estivale, que domus fuit consumata feria quarta Felicis et Adaucti martirum beatorum. Eo- Aug. 30.
dem eciam anno capellam subtus gradum eundo ad refectorium ordinavit.

Anno Domini 1401. domnus Michael prepositus Mechoviensis villam monasterii nostri Mechoviensis dictam Slawno prope civitatem Radom cum novem villis circumiacentibus limitavit, granicies et altos

cumulos seu monticulos fodere et elevare procuravit. Hec limitacio facta fuit, quando strennuus miles domnus Spitko dictus Colczek erat subcamerarius terre Sandomiriensis. Eodem tempore videlicet in autumpno Mechovie et alias per loca erat magna pestilencia; in ea fuerunt mortui frater Gregorius laycus procurator de Scawani, frater Borco vicarius Mechoviensis, frater Bartholomeus prepositus de Przewrsko, Ambrosius plebanus secularis de Wrocznziz, cui successit Iohannes eciam secularis ad dresentacionem domni Michaelis prepositi Mechoviensis.

Ian. 29. Anno Domini 1402. in dominica Exurge quare, serenissimo principi domno Wlodzislao regi Polonie desponsata fuit Anna regina, que fuit adducta de filia langravii, progenita ex filia Kazimiri regis Polonie. Eodem anno domnus Nicolaus de Kurow de clipeo Srzenawa fuit in archiepiscopum Gnezdnensem post domnum Dobrogost sublimatus.

Anno eodem Domini 1402. venerabilis vir domnus Michael prepositus monasterii Mechoviensis, nacione de Radomske, feria quinta, in octava cor-
Iun. 1. poris Christi, ipso die beati Nicomedis martiris, propria in persona accedens cum fratre Helya pro tunc plebano de Uneyow fecit limitacionem inter silvam regalem Glogow et bona sui monasterii antedicti, et ibidem iuxta silvam predictam Glogow mandavit erigere, fodere et elevare altos monticulos sive cumulos novos fere in perpetuum duraturos, que limitacio facta fuit de consensu et voluntate serenissimi principis domni Wlodislay regis Polonie, ita quod ipse domnus rex conmisit suis nobilibus ac strenuis militibus, videlicet domno Iohanni de Tanczin castellano Cracoviensi, Gnewessio subcamerario Cracoviensi, Iacussio heredi de Boturzino et Ywoni heredi de Obychow, tunc procuratoribus generalibus terre Cracoviensis; qui domni eandem

limitacionem perfecerunt et domnus rex et domnus Iohannes castellanus Cracoviensis ipsorum litteris ratificaverunt sigillis cum appensis; similiter eciam domnus rex propriam litteram dedit ratificando litteram Cracoviensem.

Anno Domini 1403. Cracovie in dominica Esto mihi facta fuit coronacio regine Polonie nomine Anne, que fuit de Cilia aportata. Eodem anno domnus Michael prepositus emit quandam sortem ville in Parcossenicze pro 150 marcis cum gays, et aliam sortem in Psessice pro 100 marcis. Item anno 1411. idem prepositus emit totam villam Parcossenicze a filiis Borek pro nongentis marcis et 20 marcas de oprawne dedit. Fbr. 25.

Anno Domini 1403. domnus Michael prepositus Mechoviensis descendens personaliter cum nobilibus viris domno Gnewossio subcamerario terre Cracoviensis et domno Iacussio herede de Boturzino pro tunc generali procuratore terre Cracoviensis et aliis multis nobilibus in villam Oludzam nostri monasterii Mechoviensis fecit limites inter eandem Oludzam et villas regales videlicet Gezorovize, Otholà et Dobracow, et ibidem ordinavit altos seu elevatos cumulos de terra levare fere perpetuo duraturos. Predicta limitacio fuit facta secunda feria ipso die visitacionis Marie, eciam Processii et Martiniani martirum beatorum. Eodem anno ipse domnus Michael emit pro 150 marcis de hereditate et gaymy iuxta limites civitatis in villa Parcossovicze. Et eodem anno unam sortem condam Zanissii pro 80 marcis grossorum comparavit in villa Pscrossicze. Iul. 2.

Anno Domini 1404. domnus Michael prepositus villam Chodow cum Volicza et scoltecia, in nostra villa Vola retus piscinam emit et comparavit cum effectu de consensu domni regis Wladislay et suorum nobilium pro mille marcis grossorum Pragensium a fratribus germanis videlicet Iohanne tamquam

possessore principali et domno Nicolao castellano Woyniczensi. Ab eisdem eciam recepit omnimodam resignacionem in crastino circumcisionis Do-
Ian. 2. mini cum intromissione bonorum predictorum. Eodem anno domum in Cracovia ad Sanctam Hedwigim, bonam et pulcram consumavit seu conplevit, quam alio anno antea inchoavit. Item eodem anno ibidem in Cracovia seu in Stradoma emit ortum cum area et pomerio pro 13 marcis, item duas alias domos pro 17 marcis pro monasterio sancte Hedwigis.

Anno Domini 1404. domnus Michael prepositus ordinavit quod hospitale in Zarnovecz cum suo cimiterio fuit fundatum et consecratum eodem die
Iul. 1. feria tercia in vigilia visitacionis beate Marie ad honorem et ad laudem sancte crucis utriusque festi invencionis et exaltacionis ac in honorem sancti sepulchri et visitacionis sancte Marie. Item anno uno ante consecracionem idem hospitale fuit nostro monasterio Mechoviensi datum per quendam fratrem Michaelem de ordine fratrum Predicatorum dictum vulgariter Trestka, quod idem frater in proprio matrimonio fundaverat et ad hoc domnus rex Litwanus consensum adhibuit et duos laneos sub Scassym eidem hospitali assignavit.

Iul. 2. Anno Domini 1404. idem domnus Michael prepositus ordinavit quod ecclesia et cymiterium in Chodow fuerunt dedicata seu consecrata feria 4. ipso die visitacionis beate Marie ad laudem omnipotentis Dei et visitacionis sancte Marie, sancti Iohannis baptiste, sancti Iohannis ewangeliste et sancte Margarethe virginis ac martiris gloriose, ecclesie eiusdem posita est prima dominica ante festum beate Margarete. Item sequenti die eodem anno Mechovie capella subtus gradum et duo altaria fuerunt dedicata et consecrata. Capella eadem cum suo altari dedicata est ad honorem sancti Michaelis

archangeli et omnium archangelorum et omnium summorum angelorum et sancti Philippi apostoli et sancte Dorothee virginis. Dedicacio capelle debet teneri prima dominica post festum sancti Galli confessoris. Item aliud altare extra capellam consecratum est ad honorem sancti Augustini et omnium sanctorum doctorum et sancte Agnetis et sancte Barbare virginum ac mulierum beatarum.

Anno Domini 1404. Michael prepositus villam Yedlcza dictam prope Wroczirziz pro 330 marcis conparavit.

Anno Domini 1406. tempore domni Michaelis prepositi, sué prepositure anno undecimo, corpus templi Mechoviensis fuit consummatum ac eciam tegulis coopertum. Item eodem anno brasorium muratum retro fontem fecit.

Anno Domini 1408. tempore domni Michaelis prepositi combusta fuit tota civitas Mechoviensis preter monasterium et ecclesiam. Istud contigit feria sexta ante ascensionem Domini in die beati Mai. 25.
Urbani pape et martiris.

1409. ecclesia Mechoviensis fuit tecta plumbo domno Michaele preposito ordinante. Item eodem anno fuit expedicio facta contra cruciferos sed nullus effectus ex ea fuit. Tunc cruciferi terram Dobri- Aug.
nensem devastaverunt, castrum et municiones rapuerunt et alia concusserunt.

Anno Domini 1408. capella sub turri cum suo altari fuit consecrata in honorem sancti sepulcri et sancti Lazari et sancte Marte et sancte Marie Magdalene. Item duo alia altaria eodem die fuerunt consecrata in corpore templi, unum ex parte domus sive curie in honorem sancti Iacobi maioris et sancti Iohannis ewangeliste et omnium apostolorum et ewangelistarum. Item altare ex parte civitatis consecratum est in honorem sanctorum Nicolai, Martini et aliorum pontificum et omnium confessorum. Eodem

anno piscinam superiorem circa allodium et in sequenti anno aliam inferiorem piscinam consumavit.

1410. domnus Michael ipse domum muratam sitam ad partem aquilonis iuxta brazorium muratum quod eciam idem prepositus ante fecerat, ex integro consumavit. Item eodem anno templum cum plumbo texit et eciam testudinem in templo et omnia vitra in fenestris ordinavit, sacristiam unam circa antiquam et aliam sacristiam ex parte civitatis eciam eodem anno fecit.

1409. cruciferi Prutinenses terram Dobriniensem devastaverunt, castrum Zlotoria dictum funditus fregerunt, Dobriniense castrum conbusserunt, Bovrowniki castrum occupaverunt. Eodem anno rex Wladislaus Polonie, nacione Littwanus, cum maxima gente contra eosdem cruciferos expedicionem fecit, sed tunc rex Bohemie per suos lega-
Oct. 8. tos fecit treugas inter utrasque partes, sic expedicio nostri regis non fuit optato fine consumata. Eodem anno domnus Petrus episcopus Cracoviensis cum Msczislao abbate de Tynczia Ierusalem sepulcrum Domini visitaverunt et anno sequenti Cracoviam revenerunt.

Anno Domini 1410. Wladislaus rex Polonie nacione Littwanus una cum fratre suo Vitoldo duce supremo Littwanie habuerunt bellum cum cruci-
Iul. 15. feris feria 3. ipso die divisionis apostolorum prope civitatem Dambrowno, in campo dicto Grindwald, vulgariter Zelone-pole dicto; ubi dominus Deus dedit eidem domno regi totam victoriam obtinere, quod in eodem bello seu conflictu prostrati fuerunt magister Prussie, a suis marsalcus commendator de Gdanczk et alii quam plures commendatores et fere omnes pociores cruciferorum tunc in eodem bello ceciderunt. Eciam multa milia baronum et nobilium quos conduxerant de Misna, Bawaria, de Reno, de Bohemia, Slesia et Ungaria, de

Saxonia. Et hii fere omnes in eodem conflictu ceciderunt et alii qui in fugam versi fuerunt omnes erant captivati, duo duces, comites et langrawi erant captivati et de gente domni regis ad 20 numero fuerunt interfecti. Eodem tempore tanta a domino Deo obtenta victoria venerunt omnes pociores terre Prussie, episcopi tres, consules de Elbango, de Torun, de Gdanczk, de Chelm, de Brodnicza et de aliis fere omnibus civitatibus, omagium domno regi per sua iuramenta prestiterunt et omnes ipsorum civitates et castra subdiderunt, tamen postea tamquam perfidi ipsorum promissa infregerunt et ab obediencia regia recesserunt. Non tamen sine gravi ulcione evaserunt, quia postmodum multi fuerunt interfecti, multi captivati, alique civitates desolate fuerunt et castra aliqua fracta et conbusta sunt.
Eodem tempore circa Marienburg rex stetit cum suo Iul. 26
exercitu 8 ebdomadis, civitatem conbussit et contrivit Sept. 19.
sed castrum Marienburg non valuit expugnare, et sic recessit.

Anno milleno quadringentesimo deno
Augusto sub mense cruciferi strati sub ense
Regis Polonie, post missarum sollempnitatem
Die sanctorum divisionis appostolorum.

Anno Domini 1411. obiit domnus Nicolaus archie- Sept. 7.
piscopus Gnezdnensis qui Kurowska fuerat nuncupatus.

Item anno Domini 1412. reverendus pater domnus Nicolaus Neapolitanus sive Lamburiensis archiepiscopus in archiepiscopum Gnezdnensem fuit promotus.

Anno Domini 1412. wenerabilis pater domnus Michael prepositus monasterii Mechoviensis nacione de Radomske, insignia pontificalia omnia a sede apostolica obtinuit et bulla super eandem graciam ordinatur, quod quilibet prepositus Mechoviensis debeat fulciri eisdem insigniis in officiis divinis, et post

anno piscinam superiorem circa allodium et in sequenti anno aliam inferiorem piscinam consumavit.

1410. domnus Michael ipse domum muratam sitam ad partem aquilonis iuxta brazorium muratum quod eciam idem prepositus ante fecerat, ex integro consumavit. Item eodem anno templum cum plumbo texit et eciam testudinem in templo et omnia vitra in fenestris ordinavit, sacristiam unam circa antiquam et aliam sacristiam ex parte civitatis eciam eodem anno fecit.

1409. cruciferi Prutinenses terram Dobriniensem devastaverunt, castrum Zlotoria dictum funditus fregerunt, Dobriniense castrum conbusserunt, Bovrowniki castrum occupaverunt. Eodem anno rex Wladislaus Polonie, nacione Littwanus, cum maxima gente contra eosdem cruciferos expedicionem fecit, sed tunc rex Bohemie per suos lega-
Oct. 8. tos fecit treugas inter utrasque partes, sic expedicio nostri regis non fuit optato fine consumata. Eodem anno domnus Petrus episcopus Cracoviensis cum Msczislao abbate de Tynczia Ierusalem sepulcrum Domini visitaverunt et anno sequenti Cracoviam revenerunt.

Anno Domini 1410. Wladislaus rex Polonie nacione Littwanus una cum fratre suo Vitoldo duce supremo Littwanie habuerunt bellum cum cruci-
Iul. 15. feris feria 3. ipso die divisionis apostolorum prope civitatem Dambrowno, in campo dicto Grindwald, vulgariter Zelone-pole dicto; ubi dominus Deus dedit eidem domno regi totam victoriam obtinere, quod in eodem bello seu conflictu prostrati fuerunt magister Prussie, a suis marsalcus commendator de Gdanczk et alii quam plures commendatores et fere omnes pociores cruciferorum tunc in eodem bello ceciderunt. Eciam multa milia baronum et nobilium quos conduxerant de Misna, Bawaria, de Reno, de Bohemia, Slesia et Ungaria, de

Saxonia. Et hii fere omnes in eodem conflictu ceciderunt et alii qui in fugam versi fuerunt omnes erant captivati, duo duces, comites et langrawi erant captivati et de gente domni regis ad 20 numero fuerunt interfecti. Eodem tempore tanta a domino Deo obtenta victoria venerunt omnes pociores terre Prussie, episcopi tres, consules de Elbango, de Torun, de Gdanczk, de Chelm, de Brodnicza et de aliis fere omnibus civitatibus, omagium domno regi per sua iuramenta prestiterunt et omnes ipsorum civitates et castra subdiderunt, tamen postea tamquam perfidi ipsorum promissa infregerunt et ab obediencia regia recesserunt. Non tamen sine gravi ulcione evaserunt, quia postmodum multi fuerunt interfecti, multi captivati, alique civitates desolate fuerunt et castra aliqua fracta et conbusta sunt. Eodem tempore circa Marienburg rex stetit cum suo Iul. 26
exercitu 8 ebdomadis, civitatem conbussit et contrivit Sept. 19.
sed castrum Marienburg non valuit expugnare, et sic recessit.

Anno milleno quadringentesimo deno
Augusto sub mense cruciferi strati sub ense
Regis Polonie, post missarum sollempnitatem
Die sanctorum divisionis appostolorum.

Anno Domini 1411. obiit domnus Nicolaus archie- Sept. 7.
piscopus Gnezdnensis qui Kurowska fuerat nuncupatus.

Item anno Domini 1412. reverendus pater domnus Nicolaus Neapolitanus sive Lamburiensis archiepiscopus in archiepiscopum Gnezdnensem fuit promotus.

Anno Domini 1412. wenerabilis pater domnus Michael prepositus monasterii Mechoviensis nacione de Radomske, insignia pontificalia omnia a sede apostolica obtinuit et bulla super eandem graciam ordinatur, quod quilibet prepositus Mechoviensis debeat fulciri eisdem insigniis in officiis divinis, et post

divina officia missarum ac vesperorum potest et debet dare populo benediccionem solempnem ut in eadem bulla sive littera apostolica lucide continetur. Item eodem anno idem prepositus frater Michael conparavit infulam perlis et aliis lapidibus ornatam, et baculum sive curwaturam apud fratres Predicatores pro 60 marcis, ita quod prefatis insigniis omnes Mechovienses prepositi debent et possunt uti in sacris synodis et regum coronacionibus et aliis omnibus solempnitatibus ubilibet locorum, omnibus temporibus perpetuo duraturis. Item anno eodem ecclesiam novam in Chelm nostra villa retro Rabam sitam cum aliis ornamentis propriis impensis fecit et usque in finem consumavit. Item eodem anno villam prope Yadownik dictam Twaidoslavicze pro 300 marcis conparavit. Item anno eodem villam Orlow pro 600 marcis apud domnum Nemerzam canonicum Cracoviensem conparavit. Item apud quendam Bogussium in Pscrossiczk et Lgotha et Podlesna Wola suas partes pro 300 marcis.

Anno Domini 1415. domnus Michael prepositus Mechoviensis prope Stawani villam Gotharcovicze emit pro quingentis marcis.

Item anno Domini 1420. hereditatem Sadowe prope Gotharcovicze conparavit, que hereditas in totum constabat ultra centum et octoginta marcis.

Item anno Domini 1421. chorum sancte Hedwigis in Cracovia muris conplevit et anno sequenti tectum desuper ordinavit et sic insimul labor predictus 400 marcis et ultra constetit.

Anno Domini 1417. concilium generale fuit Constancie celebratum. In eodem concilio Iohannes dictus Huss Bohemus nacione de heresi convictus et incendio miserabiliter consumatus. Cuius Iohannis heresis in Praga, immo in tota Bohemia, fuit tam valida et crudelis quod omnia monasteria Hussite heretici desertaverunt, omnes religiosos monachos et

moniales de suis monasteriis expulserunt, et quicunque religiosus post expulsionem inventus fuerit, turpiter occiderunt. Insuper omnes seculares presbiteros qui heresim non tenerent tam prelatos quam alios minores ecclesiarum occidebant rectores, et omnes ecclesias tam seculares quam religiosas spoliando ornamentis, calicibus, ymmo possessiones omnes ipsorum receperunt, eciam domnum Sigismundum regem Ungarie regno Bohemie paterno privaverunt.

Anno Domini 1422. illustris princeps domnus Sigismundus fuit missus per Wladislaum regem Polonie ad domnum Vitoldum ducem Littwanie sub spe ad Bohemiam hereticorum conversionem. Tamen non valuit eos reducere ab eorum erroribus et ad obedienciam ecclesie Romane, quia Iohannis Hus heretici firmiter sunt heresibus depravati.

Anno Domini 1422. rex Wladislaus et dux Vitoldus Littwanie intraverunt potenter terram Prussie cum multitudine Thartarorum, quam devastaverunt et incendiis civitates et villas in magna parte cremaverunt. Aug.

1422. feria quarta proxima post festum sancti Andree apostoli in terra Cypsiensi, in Lubocza, in legacione domni nostri regis Polonie ob spem concordie et pacis treugarum inter regnum Polonie et regnum Ungarie, ibidem in prefata villa vitam transitoriam, prout Deo placuit, mutavit in eternam reverendissimus pater domnus Nicolaus archiepiscopus Gneznensis et primas, qui erat benefactor et promotor monasterii Mechoviensis, simul et confrater erat nostri ordinis. Dec. 2.

Item anno 1431. facta fuit magna strages circa Luczsko, et ibidem inierunt bellum rex Wladislaus Polonie cum fratre suo Swidergal magno duce Littwanie alias Boleslao, et ibidem per Polonos infiniti

Litwani et Rutheni interfecti sunt. Eodem anno
Sept. magister magnus Prutenorum rege Wladislao absente, subintravit regnum Polonie et ibidem infinitas villas et civitates cremavit in terra Cuyawiensi et aliis circumiacentibus. Item eodem anno quo supra rex Wladislaus recepit nostras villas, videlicet Stawyany, Wroczyrsysz, Iadownyky et alias circumiacentes, et dedit ipsas quibusdam nobilibus quibus fuerant bona cremata in terra Cuyaviensi, et iste
Nov. 9. ville fuerunt recepte tercia die ante festum sancti Martini.

Item anno Domini 1432. domnus Iohannes prepositus Myechowiensis inpetravit apud domnum regem quod ville predicte fuerunt nobis vice versa re-
Iul. 29. stitute in festo sancte Marthe hospite Christi in Bowa post Radossycze.

Item anno Domini 1433. domnus Iohannes prepositus Myechoviensis cum suo conventu fuit citatus in Perusio ad generalem priorem. Eodem eciam anno similiter citatur ad concilium Basiliensem et ibidem fuit absolutus ab instantia prioris generalis Perusiensis. Eodem anno regressus prefatus venerabilis pater de Basilea et non invenit domum ita sicut
Mai. 31. eam relinquerat sed in multis dampnificatam.

Item anno Domini 1434. feria secunda in die Petronelle virginis serenissimus princeps et dominus Wladislaus alias Iagol, nacione Litwanus, rex Polonie, mortuus est et eodem tempore fuit magna spes a pauperibus nobilibus de heresi et predonia, sed dominus Deus per merita sancti Stanislai nostri gloriosi patroni pacificavit.

Item eodem anno quo supra venerabilis domnus Iohannes prepositus Myechoviensis cepit reedificare stubam de fundamento ante antiquum cellarium. Dominus Deus det sibi premium in celo quia pro domo ista fideliter laboravit etc.

Item eodem anno 1434. in die beati Iacobi apostoli Iul. 25. Wladislaus filius primogenitus Wladislai Litwani in regem Polonie per domnum Albertum archiepiscopum et domnum Sbigneum Cracoviensem episcopum adherentibus ipsis pluribus episcopis et ceteris infulatis coronatur. Item domnus Nicolaus Lyszowski prepositus Myechovyensis quondam invadiat omnes decimas per octo annos, omnes silvas destruxit, omnes villas, predia, totam domum, ita quod fratres non habuerunt quid comedere. Calices, cruces aureos, argenteos, coclaria, omnes res domesticas ad amasia sua nomine Syvathlova consumppsit. Hec verecundia in eternum nostre religioni manebit quod

. . . .

EPHEMERIDES WLADISLAVIENSES.

Quum quae notatu digna eveniebant, Wladislaviae in calendario forsan ad dies singulos describerentur, effectum est ut maxime ad saeculi XIV. historiam nobis servatae sint notae haud spernendae historicae. Eas offendimus in magna illa compilatione, qua ut iam supra ad Annales Cracovienses breves praefati sumus, varii Boguphali eiusque continuatoris codices sunt in fine instructi. Quorum ex numero hos ad constituendum textum adhibuimus:

1) *Ottobonianum,*
2) *Rhedigeranum.*

Notas quasdam historicas, quae ut putamus, originem Wladislaviae sumpserunt, in fine adiecimus.

Ian. 8. Anno Domini 1324. 6. Idus Ianuarii, in Avinione dominus Mathias consecratur in episcopum Wladislaviensem per venerabilem patrem dominum Petrum episcopum Prenestensem cardinalem.

Ian. 14. Item 19. Kalendas Februarias eligitur dominus Iaroslaus archidiaconus Cracoviensis in archiepiscopum Gneznensem, anno Domini 1342.

Ian. 28. Item 5. Kalendas Februarias consecratur dominus Albertus Paluka in episcopum Poznaniensem, anno Domini 1348.

Febr. 8. Item 6. Idus Februarii Premislius rex Polonie occisus est in Rogoszno sub anno Domini 1296.

Fbr. 14. Item 16. Kalendas Marcii obiit reverendus pater dominus Iohannes Doliva episcopus Poznaniensis, qui bene vivendo largus fuit, anno Domini 1335.

Mar. 12. Item 4. Idus Marcii obiit domina Anastasia, ducissa Lanciciensis et quondam Dobrinensis, relicta domini ducis Semoviti, fratris domini Wladislai regis Polonie, sub anno Domini 1335.

Mart. 4. Item 4. Nonas Marcii obiit inclitus princeps dominus Wladislaus rex Polonie in castro Cracoviensi anno Domini 1333.

Item dominus Michael episcopus Wladislaviensis vixit 40 annis; dominus Wolimirus 23 annis; dominus Albertus 13 annis; dominus Wislaus 16 annis; dominus Gervardus 23 annis.

Apr. 23. Item 9. Kalendas Maii crematur ecclesia Wladislaviensis cathedralis, simul cum domibus canonicorum et prelatorum in civitate predicta antiqua, per fratrem Kerstanum et alios fratres et homines de domo Theutunica, qui tunc temporis, manu armata exiverunt de castro Dobrinensi ad spoliandam et impugnandam terram Cuyavie, anno Domini 1329.

tempore domini Mathie Wladislaviensis, cui erat per dominum Iohannem papam XXII. in ipsa ecclesia de episcopatu provisum, ipso domino Mathia in Avinione existente.

Item 3. Idus Marcii dominus Troydinus dux Mazovie obiit anno Domini 1341. Mar. 13.

Item 3. Idus Aprilis obiit dominus Nankerus episcopus Wratislaviensis, anno Domini 1341. Apr. 11.

Item 3. Idus Aprilis vallatur civitas Brestensis per fratrem Ottonem de Lutheburg et fratres ipsius de domo Theutunica et homines ipsorum fortes et armatos, anno Domini 1322. Apr. 11. 1332.

Item 3. Kalendas Maii expugnatur civitas predicta Brestensis per dominos suprascriptos sub anno Domini 1322. et tunc temporis erat dies pasche. Apr. 29.

Item 8. Kalendas Maii coronatur inclitus princeps dominus Kazimirus, filius domini Wladislai regis Polonie, in regem Polonie, Cracoviensi in ecclesia, per venerabiles patres dominos Ianussium archiepiscopum Gneznensem, Iohannem episcopum Cracoviensem et alium Iohannem, episcopum Poznaniensem, anno Domini 1333. Apr. 24.

Item 2. Kalendas Maii natus est Kazimirus, filius Wladislai regis Polonie, anno Domini 1310. Apr. 30.

Item 2. Nonas Maii obiit Bernardus dux Slezie, anno Domini 1326, gener domini Wladislai regis Polonie. Mai. 6.

Item pridie Kalendas Iunii obiit dominus Albertus Paluca, episcopus Poznaniensis, in Solecz villa, anno Domini 1355. Mai. 31.

Item 7. Kalendas Iunii obiit domina Anna regina Polonie in castro Cracoviensi, filia Gedimini ducis Litwanorum, anno Domini 1339. Mai. 26.

Item 10. Kalendas Iunii Mai. 23.

Annis millenis trecentenis sine senis
A Prussis mirus populus cadit et Kazimirus.

Mai. 28. Item 5. Kalendas Iunii dominus Arnestus primus archiepiscopus Pragensis obiit, eciam constitutus obtinuit reliquias sancti Stanislai, et in honorem ipsius capellam construxit in ecclesia sua cathedrali Pragensi anno Domini 1364.

Iun. 12. Item 2. Idus Iunii recedit dominus Mathias episcopus Wladislaviensis de curia Avinionensi, qui eciam constitutus obtinuit reliquias sancti Stanislai et in honorem ipsius capellam construxit in ecclesia sub anno Domini 1324.

1329. Iul. 5. Item 3. Nonas Iulii expugnatur Raczans castrum cum machinis multis et aliis quam plurimis instrumentis per fratres supradictos, in quo multi thesauri hominum diversorum, arma et baliste quam plurime sunt accepta per ipsos, et homines plures interfecti et captivati; quos dominus episcopus redemit, videlicet pro quadricentis marcis, numeri et monete Polonice.

1329. Iul. 7. Item Nonas Iulii crematur castrum Radzeoviense
Iul. 9. per eosdem, anno supradicto; 7. Idus Iulii crematur castrum Naklense.

Sept. 14. Octobris 18. Kalendas recessit domina Anna sive Anastasia regina Polonie, uxor incliti principis domini Kazimiri regis Polonie, cum patre suo domino margrabio Hasie sine licencia sui mariti, regis predicti, anno Domini 1356.

Sept. 27. Item 5. Kalendas Octobris committitur bellum inter homines dominorum Wladislai regis Polonie et Luderi magistri generalis ac fratres ipsius de domo Theutunica, in quo quam plurimi homines ex utraque parte sunt occisi, sed multo plures fratres et homines de domo predicta, circa villam Plowcze circa Radzeow, anno Domini 1331.

Nov. 1. Ipso die omnium sanctorum obiit dominus Gerwardus episcopus Wladislaviensis, fautor et promotor corone Polonice gentis, Avinione in curia Romana ibidem existens, anno Domini 1323.

Pridie Nonas Novembris providetur domino Sbi- Nov. 4.
lutho per papam de episcopatu Wladislaviensi anno
Domini 1366.

Item die sancte Barbare obiit venerabilis in Chri- Dec. 4.
sto pater dominus Ianislaus archiepiscopus Gnez-
nensis anno Domini 1341. in Lancicia, in domo sua
circa ecclesiam.

Item 3. Nonas Decembris providetur domino Ma- Dec. 11.
thie decano Wladislaviensi de episcopatu Wladis-
laviensi anno Domini 1323.

NOTAE WLADISLAVIENSES.

Anno Domini 1351. obiit dux Boleslaus Plocensis, amicus ecclesie.

Anno Domini 1353. cecidit nix magna usque ad Mai. 12.
genua in vigilia penthecostes.

Anno Domini 1345. Iohannes rex Bohemie cum Bohemis venit ante Cracoviam, et cum Ungaris ante Lelow, defendente se Wladislao rege Polonie, pugnaverunt, et Bohemi superati ad propria cum confusione sunt reversi.

Anno Domini 1349. pestilencia magna fuit, et homines se affligebant seu flagellabant.

1346. Iohannes Lodza, episcopus Poznaniensis obiit, qui dum vixit, multas poesias, unam videlicet de assumpcione beate Marie: *Salve salutis ianua*, aliam de purificatione: *Benedicta*, aliam de sancto Adalberto[1]: *In laudem sacro presuli* (quilibet versus incipit per litteras sui nominis, videlicet: *Iohannes presul Poznaniensis*), item de sancto Petro: *Tu es Petrus, et super hanc;* item aliam de sancto Paulo,

unam que cantatur post ympnum in ecclesia Poznaniensi: *Lux clarescit in via.* Hic erat iocundus, cytharam in domo sua causa leticie percuciebat, sed lubricum carnis ardenter agebat, bene literatus erat et bene natus.